FABULÆ

SELECTÆ

FONTANII.

TOMUS SECUNDUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

FABULÆ
SELECTÆ
FONTANII
È GALLICO
IN LATINUM SERMONEM CONVERSÆ,

IN USUM

STUDIOSÆ JUVENTUTIS,

Authore J. B. GIRAUD, Presbitero Congregat. Oratorii Domini Jeſu, Rothom. Academiæ Socio.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ROTHOMAGI,

Apud { LUD. LE BOUCHER, Bibl. viâ *Ganterie.*
LAURENT. DUMESNIL, Typ. & Bibliopolam.

M. DCC. LXXV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

Digitized by Google

AD DOMINAM

MONTESPANAM.

Fabula cœlicolûm donum eſt; mortalis at illam
Si quis donavit, proximus ille Deis.
Artis tam miræ fuerit quicumque repertor,
Aras nos deceat conſtituiſſe viro.
Vim magicam huic arti quis non fateatur ineſſe?
Attentos ſenſus ingenioſa tenet.
Et blandè illaqueans, narrando ficta, legentûm
Pectoraque & mentes, quò jubet ire, trahit.
O quam dos eadem commendat, Olympia, ſi fors
Accubuit menſis noſtra camœna Deûm,
Quæ tibi fert, vultu, precor, aſpice dona benigno,
Ludentiſque favens accipe mentis opus.

---

2. *Proximus Deis.* Id habendum eſt Deo proximum quod eſt optimum. *Cic.* 2. *de Legib.* 40.

Nec tamen id falſum eſt; nam Dîs ut proxima quæque,
Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.
Ovid. l. 1. *Faſt. v.* 447.

2. *Deis* pro *Divis*, vel *Diis.*

Victrix cauſa Deis placuit, ſed victa Catoni. *Luc. l.* 1. 128.
——— Victima ſacra
Tantis digna Deis. *Juven. Sat.* 12. *v.* 114.

Te mihi patronam venerans, quo cuncta metuntur,
Tempus me ſinet his vincere ſecla jocis.
Exoptat cineri ſcriptor quicumque ſuperſtes
Eſſe ſuo, laudes ambiat ille tuas.
O & dulce decus vatum, tutelaque, noſtri
Ex te naſcetur carminis omnis honos.
Qui ſit cumque nitor, quæcumque & gratia ſcriptis,
Perſpexiſſe tibi, mens peracuta dedit.
Et veneres novit quiſnam te certiùs? es tu
Tota lepos, habitu, colloquioque places.
De re dulci adeò, me dicere plura juvaret,
At majoris opus laus tua vatis erit.
Mî ſatis eſt, poſtrema mei ſigmenta laboris,
Si quondam vigeant nomine ſalva tuo.
Ante alios carum poſthàc tutare libellum,
Alterius vitæ qui mihi pignus erit.
Quondam orbis plaudens, livor licèt obſtet iniquus,
Auſpice te ſolâ, carmina noſtra leget.
Non decus hoc mereor, ſed fabula jure repoſcit,
Scis quàm mendaci carmine muſa potens.
Hæc mihi ſi dederit te delectare jocando,
Pro mercede ipſi debita templa putem.
Templa ſed aggredior ſi quandò ponere, tantùm
Eſt animus meritis illa ſacrare tuis.

SELECTÆ
FONTANII
FABULÆ.

LIBER SEPTIMUS.

FABULA PRIMA.

Animantia peſte laborantia.

MORBUS, quem, pœnas ut penderet impia tellus,
Ultoris peperit juſtior ira Poli:
Morbus, corda metû quatiens, tam lethifer orbi,
Ut ditando Erebo ſit ſatis una dies:
Peſtis (poſſim utinam nomen reticere nefandum)
Intulerat miſeris bella cruenta feris.

Non cunctas condit tumulo exitialis Erinnys;
Sed ſævis cunctas ignibus intùs edit.
His nulla eſt vitæ pereuntis cura fovere
Relliquias; acuunt pabula nulla famem.
Innocuam mitemque dolis invadere prædam
Dedidicit vulpes, dedidicitque lupus.
Cum ſociâ exhorret ſociari turture turtur,
Eheu! pulſus amor, gaudia pulſa ſimul.
Concilium ergò vocat leo; tantâ, dixit, amici,
Clade (reor) plectit crimina noſtra Polus.
Cœleſti, noſtrûm ſe peſſimus immolet iræ,
Communis forſan cauſa ſalutis erit.
Teſtantur faſti, ſimili diſcrimine preſſos,
Sic priſcos, ſacro more, litaſſe Deis.
Nemo ſibi ignoſcat: ſed ſingula facta revolvens,
Sit rigidus cenſor quilibet ipſe ſuî.
Primus ego fateor, ſuffuſus & ora pudore,
Me victum ingluvie ſæpè fuiſſe meâ.
Vix numerentur oves, ſævâ quas fauce voravi,
Gens manſueta; mihi quid nocuêre? nihil.
In mea quandòque & demiſſus viſcera paſtor.
Publica, ſi ſit opus, victima ſpontè cadam.
Sed proprias quemvis noxas decet antè fateri,
Omnibus exemplum candidus ipſe dedi.
Numina qui læſit graviùs, det ſanguine pœnas,
Sic legum tabulæ, ſic ratioque jubet.
Tùm vulpes: nimiùm bonus es, rex magne, nocentem
Te tibi mens nimiùm relligioſa facit.
Nempè comeſſe agnas, ſtolidum atque ignobile vulgus,
Num ſcelus eſt? Caveas ne ſcelus eſſe putes.
Imò regali fuerint quod ventre ſepultæ,
Hinc illis, princeps inclyte, multus honos.

Digitized by Google

Nec tibi paſtoris cædes mentem ampliùs angat,
Supplicio quovis, herculè, dignus erat.
Gente ortus pravâ, quæ jus ſibi fingit inane,
Servitio ut pecudes imperioſa premat.
Sic vulpes ficto palpat ſermone leonem,
Plauſu & adulatrix turba favere ſuo.
Tygridis aut urſi & quorumvis tetra potentûm
Rimari nimiùm crimina quiſque cavet.
Rixoſas pecudes, humili & de plebe moloſſos,
Tanquàm Semideos, inſeruêre Polo.
Tandem aſinus: reminiſcor ego, per prata tenebant
Quæ monachi, trito calle ſequebar iter.
Me locus illexitque fames & mollior herba,
Occultâ & Dæmon impulit arte, reor.
Quantùm lingua patet mea, tantùm graminis edi;
Gramen in hoc, fateor, nil mihi juris erat.

---

42. *Pecudes.* Pecus dicitur de quovis animali, excepto homine.

——— Et pecudum cuſtodia ſolers.

Virg. Georg. l. 4. *de apibus loquens.*

Squammigeræ pecudes. *Lucret. de piſcibus.*

Plaut. *Pſeudol. act.* 3. *ſcen.* 2. *v.* 45. piſces vocat Neptuni pecudes.

Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt.

43. *Palpat.* Palpare eſt adulari.

——— Quem munere palpat

Carus. *Juvenal. Sat.* 1. *v.* 35.

Cui malè ſi palpêre, recalcitrat undique tutus.

Horat. l. 2. *Sat.* 1. *v.* 20.

47. *Humili de plebe.*

Pars humili de plebe duces. *Claud.* 2. *Eutrop.* 342.

Vix ea, conclamant: in jus rapiatur aſellus.
  Dein norat paulùm qui vafra jura lupus,
Devoveatur, ait, ſcabioſum, depile, diris
  Sacrum animal, tantæ cauſa nefanda luis.
Quæ vix culpa fuit, noxa his cruce digna vocatur,
  Gramina depaſci non ſua, quale nefas!
Tam grave non poterat crimen niſi morte piari,
  Mox pendenti aſino rem benè fune probant.
Aula ut te miſerum cernit, cernitve potentem,
  Aulæ es judicio candidus, esve niger.

---

56. *Vafra jura.*

——— Nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris...
Hor. l. 1. *Sat* 2.

Vafrum jus ab Horatio dicitur, inquiunt Calepinus & Robertus-Stephanus in ſuis dictionariis, quòd ſit ſubtile & in eo multi vafrè verſentur.

64. *Judicio.*

——— Demens
Judicio vulgi, ſanus fortaſsè tuo: quod.
Horat. l. 1. *Sat.* 6. *v.* 97.
Judicio noſtro tantùm tibi cedit Amyntas.
Virg. Eglog. 5. *v.* 18.

FABULA II.

Vir malè conjugatus.

SIT pulchri comes uſque bonum : quæretur & uxor
Cras mihi : at hæc pridem diſſociata duo.
Pulchraque mens pulchri perrarò eſt corporis hoſpes,
Indè mihi uxorem quærere nullus amor.
Nec culpandus ego : vidi plures hymenæos,
Cor potis eſt nullus ſollicitare meum.
Sed bona pars hominum ſummum diſcrimen adire
Non timet, hinc hominum pars bona ſæpè dolet.
Sufficit exemplum nobis inſigne maritus,
Cui tantùm, expulſâ conjuge, parta quies.
Zelotypa hæc mulier, rixoſa & avara, probare
Nil unquàm, dignum ducere laude nihil.
Tardiùs exurgunt ſtratis, citiùſque recumbunt;
Vult album, exorto ſole, cadente, nigrum.
Deindè aliud quid : herus nil curat, cuncta profundit.
Nempè vagatur herus, nempè quieſcit herus.
Dùm blaterat, frendent famuli, mala mille precantur :
Infelicis heri non capit ira modum.
Dejerat & feſſus convicia ferre, Megæram
Ejicit; hæc exul rura paterna petit.

---

7. *Bona pars hominum.*
At bona pars hominum decepta cupidine falſo.
Horat. l. 1. Sat. 1.

12. *Ducere* pro *exiſtimare, judicare, putare.* Hanc eſſe in te ſapientiam exiſtimant, ut omnia tua in te poſita ducant. *Cic. de Amicitiâ*, 7.
Sic equidem ducebam animo, *i. e.* ſic cogitabam apud me.
Virg. 6. Æneid. 690.

Ergò Phyllidibus comes illic additur, Indos
  Quæ pullos ſervant ſetigeroſque ſues.
Credit ubi cœpiſſe illam miteſcere conjux,
  Poſt paulò revocat : dic age, nupta, precor ;
Rure quid egiſti ? Camporum innoxia vita
  Eſtne tuis prorsùs moribus apta ? Satis.
Aſt ibi plus noſtris famulos ceſſare dolebam,
  Quos non ulla ovium cura, boumque tenet.
Non ſemel increpui, verùm fervebat acerbis
  In me odiis pigra gens, indociliſque regi.
Eho ! ſubjecit caperatâ fronte maritus :
  O quàm difficilis mens & acerba tibi !
Si quicumque videt te raptim & veſpere tantùm,
  Protinùs averſans, te tuaque ora fugit ;
Quid facient ſervi quos primo à lumine ſolis
  Ad noctem latras, ceu rabioſa canis.
Infelix quid aget conjux, quem vivere tecum
  Iiſdem ſub laribus, nocte dieque, cupis ?
Rus remea, atque vale ; ſi, dùm mihi vita manebit,
  Te revocem demens, vel revocare velim,
Culparum in pœnam, ſimilis tibi, ſtipet in orco
  Indefeſſa meum femina bina latus.

---

24. *Nupta* pro *uxore*,
Vivite devoto, nuptaque virque toro.
Ovid. Heroïd. 6. v. 164.
Nupta quid expectas. *Ovid. 2. Faſt.* 425.
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni.
Idem. 4. Triſt. 5. Eleg. v. 27.

36. *Latras.*
—— Si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipſe. *Hor. l. 2. Sat. 1.*
Latrare propriè ad canes pertinet ; ſed metaphoricè ad homines transfertur.

FBULA III.

Mus anachoreta.

Curarum ſecli ceperunt tædia murem,
Indorum annales ſic meminêre pii.
Omni ſemotus turbâ ſtrepituque, batavi
Se caſei prudens abdidit orbe cavo.
Altus ibi ſeceſſus erat. Novus hoſpes eremi
Amplificat, fodicans & pede & ore, caſam.
Commoda cella brevi tectum victumque miniſtrat,
Quid plus expoſcas? fit teres atque nitens.
Eſſe Deo totus qui voverit, & Deus illi
Prodigus uſque ſuas ſpontè profundit opes.
Murem adiêre pium legati, curia miſit
Quos murina; ſtipem tùm rogitare levem.
Gentis ad externæ, dixerunt, tendimus oras,
Auxilium ut noſtris officioſa ferat.
Natio nam bellum indixit felina cruentum,
Muripolimque acres obſidione premunt.
Quæ ſe nummorum reſpublica ſenſit egenam,
Nos vacuis loculis carpere juſſit iter.

---

3. *Batavus.* Secunda hujus vocabuli ſyllaba poteſt ad poëtæ arbitrium contrahi vel produci.

Jam puer, auricomo performidate batavo. *Sil. l.* 3 *v.* 608,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias, jocoſque novit
Aurem qui modò non habet batavam.
Martial. l. 6. *Epigr.* 82.

Vangiones batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuêre tubæ.
Lucan. l. 3. *v.* 431.

Auxilium ſed erit poſt luces quinque paratum;
  Dùm veniat, modico nos, pater, ære leva.
Mus pius: ô fratres, nil jam mortalia curo,
  Ecquam det cellæ pauperis hoſpes opem?
Quid præſtare poteſt aliud, quàm fundere vota,
  Ut vobis adſit dextra benigna Dei?
Haud vobis deerit, confido. Ut talia dixit,
  Fratribus occludit ſanctulus ecce fores.
Culpatur meritò pietas tam barbara muris;
  Ludicra ſed quemnam, lector, imago refert?
An monachum? Minimè, dervim ſed corde ferino;
  Humani monachum pectoris eſſe reor.

---

26. *Sanctulus.* Diminutivum à *ſanctus*, per contemptum, deductum. Tibi, quaſi religioſus & ſanctulus, perſonam humilitatis imponis. *Hieron. in Rufinum.*

29. *Dervim.* Dervis eſt religioſioris apud mahumetanos inſtituti cultor.

FABULA IV.

Ardea.

Ardea, longa gerens longo roſtra inſita collo,
Suffulta & longis cruribus egit iter.
Huc lentè pergens quò ſors incerta ferebat,
Oram flumineæ fortè legebat aquæ.
Innubis cœli facies ridebat amica,
Lucebat nitido purior unda vitro.
Lucius exultim certat, ſociuſque cyprinus,
In liquidâ ludos ludere mille domo.
Ad ripam gaudent confertim accedere piſces:
Quæſtus erat facilis, ſi libuiſſet avi.
Unus quippè labor præſentem carpere prædam;
Diſtulit at cœnam, dùm foret aucta fames.
Sobria temporibus certis cœnare ſolebat.
Poſt paulò eſuriem ſentit adeſſe ſibi.
Proxima ſtat ripæ, quærens quibus indiget eſcas;
Emicat ex imo plurima tinca vado.
Tincam ſpernit avis ſperans meliora; ſuperbo
Dente refert murem, quem, bone Flacce, canis.
Tincâ ego me, dape ego me tam miſerâ, ardea, paſcam!
Qualem me credunt? Plebs ita cœnat, ait.
Reſpuit ut tincam, gracilis ſe gobius offert.
Gobius! Eſt ſtomacho dignus an ille meo?

22. *Gobius*. Dicitur etiam gobio, de quo ſic loquitur Robertus-Stephanus. Hic piſcis., ſi littoralis eſt, veteris nomen retinet: ſi verò fluviatilis, is ſanè erit, qui à gallis vulgò appellatur *goujon*
Principium cœnæ gobius eſſe ſolet. *Martial. l.* 13. 88.

Scilicet eſca meum guttur tam parva ſubiret!
Dî prohibete! Subit mox tamen eſca minor.
Ex oculis magni piſces, pariterque minuti
Diffugêre: fames aſpera cepit avem.
Flumineâ cochleam reptantem offendit in orâ,
Arripit & magni muneris inſtar habet.
Talia ne moveant pectus faſtidia noſtrum.
Qui nil faſtidit, næ magis ille ſapit.
Accerſit damnum lucri immoderata cupido;
Obtulerit quidquid ſors tibi, ſperne nihil.

FABULA V.

Vota.

Pervigiles Genii Mogolis verſantur in oris,
Qui vernarum obeunt ſpontè miniſterium.
Dant operam ſit munda domus, ſit culta ſupellex;
Quin illos horti cura ſubindè tenet.
Perficiunt quod opus, ſi fors tua dextera tangat,
Hîc operis fœdè deperit omne decus.
È Geniis unum, pomaria civis honeſti,
Propter Gangis aquas, excoluiſſe ferunt.
Aſſuêrat, ſtrepitu ſine, grato inſtare labori,
Vincere & humanas dexteritate manus.
Et dominum & dominam mirè obſequioſus amabat;
Attamen hunc horti major habebat amor.
Proh! quantùm Zephyri, geniis gens læta favere,
Afflatu blando, quod colit ille, juvant.

4. *Subindè* pro *identidem*. Hoc eſt ſat crebrò, ſed tamen cum quodam intervallo. Sæva natura ne in puero quidem latuit, quam Theodorus Gadareus & perſpexiſſe primus ſagaciter, & aſſimilaſſe aptiſſimè viſus eſt, ſubindè objurgando, appellans eum, lutum ſanguine maceratum. *Sueton. in Tiber. cap. 57.*

4. *Subindè* ſignificat etiam deindê, ſtatim, poſt. Apud Horat,
Si dicet rectè; primùm gaudere, ſubindè
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento.

8. *Propter* pro *propè*, *juxtà*.
Propter aquæ rivum viridi procumbit in herbâ.
Virg. Eglog. 8. v. 87.

Statuæ propter ædem Saturni, *hoc eſt*, propè. *Cicero. 4 Verrin.* 150.

Impiger intereà genius nulla otia carpit,
Hoſpitibuſque creat gaudia mille ſuis.
Certius indicium quò firmi præſtet amoris,
Hic velit æternos degere poſſe dies.
Mobile quanquàm inſit pectus, non indè recedat;
Invida ni fratrum turba manere vetet.
Totius gentis princeps, ſuadentibus illis,
Imperat è dulci ſede movere pedem.
Seu prudens agat, aut reptus levitate cerebri,
Hunc Norvegorum cogit adire plagas.
Perpetuis canas nivibus curare jubetur
Ædes, ſitque lapo, qui priùs indus erat.
Antè ſed arctoum quàm ſe transfe rret ad orbem,
Protulit hoſpitibus talia dicta ſuis:
Sedibus è veſtris diſcedere cogor, amici;
Cauſa ſit exilii quæ mea culpa, latet.
Utcumque eſt, certè vetor hâc in ſede morari,
Ter denos ultrà, fortè vel octo dies.
Terna at, dùm migro, vota edite; nam mihi terna
Vota explere datur, nec mihi plura licent.

---

22. *Movere pedem.*
Ridebat, quoties à limine moverat unum
Protuleratque pedem. *Juvenal. Sat.* 10. *v.* 30.

24. *Norvegorum.* Norvegi ſunt populi Norvegiæ, quæ eſt in Europâ ſeptentrionali, versùs Oceanum Germanicum ſita.

33. *Terna.* Terni, poteſt dici, pro, *tres.* Horat. *lib.* 3. *Od.* 14.

Terna. Terni, quamvis ſæpè ſumatur pro tribus ſimul junctis, ut apud Virgilium, *lib.* 5. *Æneid. v.* 120.
——— Terno conſurgunt ordine remi.
Sumi tamen poteſt pro tribus ſeparatim exiſtentibus, *v. g.* apud Tibullum, *l.* 4.
Vixerit ille ſenex (Neſtor) quamvis dùm terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurrerit horis.

Sic Genius. Parent (nec enim ardua nec nova res eſt
Terrigenas cupidum fundere vota genus.)
Expoſcunt primùm, pleno ſibi copia cornu
Adſit; confeſtim copia dives adeſt.
Non aurum capit arca, merum cella, horrea meſſem,
Omnia luxuries prodiga rumpit opum.
Tot bona, quos motus, tabulas & tempora poſcunt!
Quo poni poterunt ordine, quove loco?
Sic hæret, magis ut nemo, cum conjuge conjux;
Sed mox innumeris preſſus uterque malis.
Latro parare dolos, princeps onerare tributis:
Mutuum & æs proceres poſcere ſæpè ſibi.
Sors miſera amborum, nimiùm quòd proſpera: tandem
Sic orant pariter ſupplice voce Deos:
Importunam adeò tot opum vim tollite nobis;
Felix, ſub tenui qui lare vivit inops!

---

46. *Poſcere ſibi.*
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.
Virg. 6. Æneid. v. 37.
Ibat ovans, Divûmque ſibi poſcebat honorem.
Ibid. v. 589.

50. *Sub lare.*
Mundæque parvo ſub lare pauperum
Cœnæ. *Hor. l. 3. Od. 29.*

56. *Geſtit*, *geſtire* quamvis ſæpè ſignificet, *vehementer cupere*, non rarò etiam ſignificat, *gaudeo*, *lætus ſum.* Sic Horatius, *l. 3. Od. 12. v. 24.*
——— Nil cupientium
Nudus caſtra peto, & transfuga divitum
Partes linquere geſtio.

Lætitia, ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur ac geſtiat. *Cic. 4. Tuſcul. 11.*
Ergò irridere ne videare & geſtire admodùm.
Plaut. Moſtel. 3. 2. 125.

Id eſt ne videaris irridere & nimis lætari.

Sollicitis opibus paupertas libera præſtat.
  Theſauri, è noſtris ſedibus ite procul.
O tú quæ medium ſervas, comes alma quietis
  Virtutiſque parens, huc citò, Diva, redi.
Nec mora, Diva redit: ſuus & locus excipit illam,
  Cumque ipſis geſtit fœdus inire novum.
Quanquàm vota expleta duo, ſtupet hoſpes uterque,
  Sorte tamen nondùm ſe meliore frui.
Ceu qui, debentur quæ tempora rebus agendis,
  In nugis toti, vana vovendo, terant.
Unà cum Genio rident; ut abire parabat,
  Ultimum amicitiæ pignus habere volunt.
Ergò ſibi rogitant, dono ſapientia detur;
  Theſaurus domino non gravis ille ſuo.

---

63. *Dono detur.*
— Egone mea bona ut dem Bacchidi dono, ſciens?
Ter. Heaut. 5. 6. 6.

Digitized by Google

FABULA VI.

Leo cum Aulicis.

NOSSE olim voluit majeſtas ſacra leonis,
Queis ſibi det populis imperitare Deus.
Encyclica ad cunctos, proprio obſignata ſigillo
Mandata emittit, quà ſua regna patent :
Imperio quotquot parent animantia noſtro,
Mox per legatos regia tecta petant.
Magnum concilium princeps auguſtus habebit,
Per decies ternos continuoſque dies.
Primùm epulum ſolemne dabit, dein ſimius omnes
Curabit lepidis exhilarare jocis.
Rex dare magnifico parat hæc convivia luxu,
Pandat ut immenſas ambitioſus opes.
Omnes in luparam, juſſu vocat ille ſuperbo;
Quæ lupara! heu! ſedes feta cadaveribus.
Fœdus odor ſubitò convivas occupat; urſus
Corrugat nares, & gemino ungue premit.
Quàm fuerit ſatius frontem ſimulare ſerenam!
Diſplicuit graviter frons caperata nimis.
Iram non tenuit rex, incautumque ſubegit
Nauſeam ad infernas ferre repentè domos.

1. *Majeſtas.*
Tùm ſic jocata eſt tanti majeſtas ducis. *Phædr. l.* 2 *f.* 5.
18. *Diſplicuit.*
Ubi ſcies, ſi diſplicebit vita, tu iſthoc utitor.
Terent. Heaut. 5. 2. 19.
——— Quidquid factura videtur,
Diſplicet. *Ovid. Metam.* 9. *v.* 525.

Simius applaudit; nimiùm laudantur ab illo
 Principis ira, ungues, antraque & ater odor.
Electra & flores huic qui componat odori,
 Electra & flores, allia vera putet.
Pœnas perſolvit pariter laus putida. Princeps
 Hic leo Câligulæ ſanguine cretus erat.
Adſtaret propè cùm vulpes: age, fundit odorem
 Quem tibi noſtra domus? Rex truculentus ait:
Nec mora, reſponde: cave ficto pectore fari.
 Ægrotæ veniam des bonus, illa refert.
Reſpondere vetat, qui nares obſtruit humor.
 Quid multa? Hâc ſolers effugit arte necem.
Noſtra habet, undè tuos informet fabula mores,
 Aulice, qui regi gratior eſſe cupis.
Ne cenſor verax, ne ſis laudator ineptus:
 Normanno interdùm cura ſit ore loqui.

---

29. *Cave.* Secunda ſyllaba ſæpè eſt brevis.

——— Cave faxis
Te quicquam indignum, *Hor. l.* 2. *Sat.* 3 *v.* 38.
Tu cave, ne minuas, tu ne majus facias id. *Ibid. v.* 177.

29. *Cave fari.* Cave poteſt conjungi cum ſubjunctivo, aut cum infinitivo.

Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Horat. Art. poët. v. 168.

FABULA VII.

Vultures & Columbi.

Miſcuit inſolito quondam Mars aëra motu,
Lis fera diſcordes arſerat inter aves.
Non illas dico, quas curru jungere fertur,
Ridentem Cyprum cùm petit alma Venus.
Sed gens vulturum atrox, unco roſtro, ungue rigente,
Movit ob exanimum bella cruenta canem.
Sanguineus, dùm ſe lacerant, cadit imber in arva;
Vix credas: veris attamen addo nihil.
Si facta aggrederer per ſingula verſibus ire,
Deficerent muſam voxque dieſque meam.
Hîc animam effudit cum ſanguine plurimus heros,
Atque ſolo jacuit pars benè multa ducum.
Se dirâ ſentit recreatum in rupe Prometheus,
Quòd pœnæ finem credat adeſſe ſuæ.
Dùm pugnant acrès, hilarant ſpectacula mentem;
Dùm pereunt, lachrymas triſtis imago ciet.

---

1. *Miſcuit* Miſcere pro turbare.
—— Vario miſceri pectora motu. *Virg.* 12. *Æneid.* v. 217.
At domus interior gemitu, varioque tumultu
Miſcetur. *Idem.* 2. *Æneid.* v. 486.

5. *Rigente*
Et ſecui madidas, ungue rigente, genas.
Ovid. Heroïd. 5. *Epiſt.* 72.

11. *Animam effudit.*
—— Tuâque animam hanc effundere dextrâ?
Virg. 1. *Æneid.* v. 98.

Graſſari arte, dolo, bellantes; tendere in hoſtem,
Siſtere nunc curſum; nunc ſimulare fugam.
Sæva intentatum martis nihil ira relinquit,
Tartareum ut ditet plurima præda Jovem.
Quæque elementa novis confertim civibus implent
Immenſas Erebi, lurida regna, plagas.
Cædibus indoluit gens pectore fida tenello,
Cui plumâ collum verſicolore nitet.
Pacis amans præſtat ſeſe officioſa ſequeſtram;
Sævior ut, pacto fœdere, rixa cadat.
Hoſtica legatos mittunt ad caſtra columbæ,
Horribili pugnæ qui poſuêre modum.
Caſtra columbinâ legati è plebe petentes
Extingunt curis impia bella ſuis.
Pax inita heu! gentis, deceat cui reddere grates,
Signata innocuo deindè cruore fuit.
Perfida progenies mox inſectata columbos,
Immiti roſtro cædit inerme genus.
Proh dolor! eduntur quot funera! rara per urbes
Rara per & campos ſalva columba manet.
Conſilio caruit plebecula neſcia fraudis,
Dùm ſtudet infidum conciliare genus.
Uſque, malos inter, rixarum ſemina ſparge;
Hâc communis enim pendet ab arte ſalus.
Sint niſi diſcordes, ſævo te marte laceſſent;
Hoc dixiſti obiter, noſtra camœna, ſile.

---

31. *Inita.* Hoc participium apud Virgilium, Juvenalem, Horatium non reperitur, ſed bis aut ter apud Ovidium, qui ſic habet, *Faſt.* 1, 148.

Hinc etiam veteres initi cernuntur honores.

FABULA VIII.

Rheda & Muſca.

ASPERA arenoſo ſurgebat ſemita colle,
Quà ſoli æſtivo tota patebat humus.
Hàc trahere inſtabant magno molimine rhedam
Sex, par queis animus, par quoque robur, equi.
Matronæ, puerique ſimul deſcendere juſſi,
Et monachi pingues, invalidique ſenes.
Interea ſudat ſonipes, luctatur, anhelat,
Deficit: auxilio muſca repentè venit.
Jamque accedit equos: rata ſe, dùm bombilat, illis,
Addere ſtridenti vimque animumque tubâ.
Nunc hos, nunc illos fodicat, ſtolidiſſima rhedam
Continuò curis autumat ire ſuis.
Tùm ſellâ anteriore ſedet, ceu flectat habenas,
Aurigæ in naſo mox equitare juvat.

---

1. *Semita*, vulgò ſumitur pro *colle anguſto*, quem gallicè vocamus *ſentier*; apud Tullium accipitur pro via. 4. *Verr.* 57. Attendite, jam intelligetis hanc pecuniam quâ viâ modo viſa eſt exire ab illo, eâdem ſemitâ revertiſſe. Semitâ cedere, honoris causâ. *Senec. Epiſt.* 55.

9. *Accedit equos* pro *accedit ad equos*.
Acceſtis ſcopulos. *Virg. Æneid.* 1. 205.
——— Quas vento acceſſerit oras. *Ibid. v.* 311.
Infernas accede domos. *Æneid. v.* 732.

14. *Juvat*, impersonale, i. *e.* delectat.
——— Juvat evaſiſſe tot urbes.
Virg. 3. *Æneid. v.* 282.
——— Juvat indulgere labori.
Virg. 6. *Æneid. v.* 135.

Ut cœpêre homines, gravis & procedere currus,
Si quid in hoc laudis, vindicat omne ſibi.
Increpat, hortatur, ſequitur, præcurrit, eaſdem
Ardelio fervens itque reditque vias.
Credas per cuneos acrem volitare tribunum,
Qui, citò quò vincant, urget, agitque ſuos.
Se ſolam queritur totum perferre laborem,
Quadrupedes ſatagit nulla juvare manus.
Muſſabat monachus pſalmoſque preceſque diurnas:
Orandi tempus ſcilicet illud erat!
Femina dulce melos reſonabat gutture blando;
Poſcebat tenerum res ea nempè melos!
Muſca importuno cantu circumſonat aures,
Cuilibet illudit mille proterva modis.
Pervenit ad culmen poſt longos rheda labores;
Muſca exclamat ovans: jam mihi parta quies.
Eho, cornipedes, currus per me attigit æquor;
Reddite nunc operæ præmia digna meæ.
Sic rebus noſtris ſeſe interponere multos
Urget ſedulitas officioſa nimis.
In loca cuncta putat ſe gens ventoſa vocandam,
Arcenda è cunctis (cuique moleſta) locis.

FABULA IX.

Mulier & Lactis Sinum. *

IMPOSITAM Phyllis pulvino, & lacte recenti
Spumantem mulctram, dulce ferebat onus.
Finitimam (levior dùm veſtit amictus) ad urbem
Se pede inoffenſo poſſe venire putat.
Exilem induerat togulam, ut velociùs iret,
Planis calceolis non malè vincta pedem.
Sic accincta viam celerat, ſecumque liquoris
Jam pretium tacitè computat omne ſui.
Æs veluti teneat, certos impendit in uſus.
Hinc centum ſolers comparat ova foro.
Hinc auget chortem gallinæ triplice fetu.
Sic benè per curas rem videt ire ſuas.
Eſt mihi promptum, inquit, teneros educere pullos,
Quos intra noſtræ ſepta tenebo domûs.
Inſidias tendat quantumvis callida vulpes;
Sat, ſuper, undè mihi ſus coëmatur, erit.
Pingueſcet noſter non multo furfure porcus;
Molis ſat magnæ, cùm fuit emptus, erat.

* *Sinum lactis* pro *vaſe*, quo lac continetur.
Sinum lactis, & hæc te, liba, Priape, quotannis
Expectare ſat eſt.
Virg. 7. Eglog. v. 133.

13. *Eſt promptum* pro *eſt facile.*
Vacca ſit, an taurus, non eſt cognoſcere promptum.
Ovid. l. 4 *Faſt. v.* 717.
Quæ gravis eſt (tellus) ipſo tacitam ſe pondere prodit,
Quæque levis, Promptum eſt oculis prædiſcere nigram.
Virg. 2. *Georg. v.* 255

Si modò venalis rurſùm ducatur in urbem,
Implebo loculos ære ſonante meos.
Quid vetet hinc coëmi vaccam vitulumque, videbo
Quem medios inter luxuriare greges?
Tam dulci Phyllis non ſe capit ebria ſorte,
Subſilit & ſubitò mulctra liquorque ruunt.
Sus, vitule, & vacca, & triplex fetura, valete.
Heu! dolet effuſas naufraga Phyllis opes.
Rus repetit, meritoque timens ne fuſte maritus
Terga dolet, veniam ſupplice voce rogat.
Acta eſt de lepido jocularis fabula caſu,
Et *ſinum lactis* fabula dicta fuit.
Quem non compellit ſpes credula mente vagari,
Verſare & cerebro grandia cœpta ſuo?
Teſtes Pichroculus, Pyrrhuſque, incautaque Phyllis;
Teſtes, qui ſapiunt deſipiuntque, viri.
Somnia quiſque vigil fingit, nil dulcius: error
Tùm blandè mulcens pectora noſtra rapit.
Nos penes eſt, quidquid rarum complectitur orbis:
Noſtraque ſunt faſces, purpura, ſplendor opum.
Sim ſolus, fortem quemcumque laceſſo; tyrannum
Cogo meo Arſacidam ſubdere colla jugo.
Rex ego: jam plebis mereor, Titus alter, amorem;
Confluit in frontem multa tiara meam.
Me ſubitò ad ſanam revocet ſors aſpera mentem:
Rursùs ego pauper Davus, ut antè fui.

---

40. *Arſacidam*, i.e. *Perſarum regem.* Arſacides fuit primus Perſarum ex Parthis rex, à quo omnes Perſidis reges poſteà Arſacidæ dicti ſunt.

42. *Confluit:* Confluere dicitur propriè de fluminibus ſimul fluentibus:

—— Quo poſſint cedentes confluere undæ. *Lucret. l.* 1. *v.* 375.

Confluere, metaphoricè eſt venire confertim. Hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit. *Cic. de Invent.* 5.

FABULA X.

FABULA X.

Parochus & Mortuus.

Mæſtè ibat dives vitâ defunctus ad atram,
Undè datur nulli poſſe redire, domum.
Ibat feſtivè parochus, quò condere ſacrâ
Frigentes artus deproperaret humo.
Tardior exanimum vehit atri rheda coloris,
Aptatum, ut par eſt, lintea ritè tegunt;
Heu! veſtit toga, quam feretrum dixêre, nec æſtas
Hanc ſemel indutam, nec tibi tollit hiems.
Juxta ſandapilam, placidus de more ſedebat
Paſtor, ſacrato cujus ab ore fluunt
Nocturni pſalmi, pia reſponſoria, triplex
Lectio, verſiculi, funereæque preces.
Sollicitus ne ſis; ritus, defuncte, per omnes
Ibis: tantùm opus eſt præmia juſta dari.
Figit in exanimo paſtor ſua lumina, tanquàm
Hunc ſibi theſaurum tollere latro paret.
Iſta loquace oculo tacitus proferre videtur:
Tot referes nummos, mortue clare, mihi.
Exigui ut taceam ſumptûs munuſcula, debet
Plurima ab exequiis cera venire tuis.
Indè cadum potero generoſi accerſere vini,
Optima vicino quale dat uva ſolo.

---

1. *Mæſtè.* Tùm clementer, mœſtè, hilariter, in omnes partes commutabitur. *Cicero. l.* 3. 24. *ad Herenn. de pronuntiatione.*

6. *Aptatum.* Aptare *pro* aptè locare.

——— Aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri. *Virg.* 11. *Æneid. v.* 8.

Hinc tunicas coëment ſibi noſtra venuſtula neptis,
  Atque miniſtra mei Magdala fida laris.
Dùm dulces alacri verſat ſub pectore ſenſus,
  Alliſa ad ſaxum rheda repentè ruit.
Cum feretroque ruit pariter defunctus, & ictu
  Effringit parochi tempora ſacra ſui.
Paſtorem pertraxit ovis circumdata plumbo,
  Myſta ſui domini cogitur ire comes.
Vitæ hominum typus eſt paſtor ſpe luſus inani,
  Lactis & ob ſinum fabula nota nimis.

---

23. *Neptis.* Eſt ea, quæ ex alicujus filio, filiâve nata eſt, ac proindè non accuratè reddit vocem gallicam; quam enim vocamus *niece*, apud latinos dicitur fratris aut ſororis filia. Prætuli tamen vocabulum *neptis*, quòd meo verſui eſſet aptius.

FABULA XI.

Homo ſectans Fortunam, & Homo Fortunam in lectulo expectans.

Fortunam curſu quis non ſectatur anhelo?
O utinam in ſpeculâ fas mihi ſtare foret,
Undè importunos cultores cernere poſſem,
Quos hæc innumeros filia ſortis habet!
Umbram dùm volucrem tendunt comprendere, cæcos
In regna è regnis turbidus ardor agit.
Ut propè contingunt, jamjamque tenere videntur,
Eludit cupidas diva doloſa manus.
Infelix genus! hos miſeror; nam cernere ſtultos
Non irato oculo, ſed miſerante, decet.
Cauliculorum, aiunt, quem vidimus antè, ſatorem;
En Romæ & princeps, pontificumque caput.

---

3. *Cultores.* Cultor ſæpè idem eſt, ac adorator. Ovid. *l.* 5. *Triſt.* 3. *Eleg. v.* 15. ſic Bacchum alloquitur.

Tu tamen è ſacris hederæ cultoribus unum
Numine debueras ſuſtinuiſſe tuo.
Parcus Deorum cultor & infrequens.
Horat. l. 1. *Od.* 34. *v.* 1.

5. *Volucrem.* Volucer, lucris, lucre, eſt adj. Idem ac celer, mobilis; dicitur propriè de alitibus, ſed metaphoricè de aliis rebus.

Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Virg. 2. *Æneid. v.* 294.

O falſam ſpem! ô volucrem fortunam! *Cic. pro Sull.* 91.

5. *Comprendere* pro *prehendere.*

Ter fruſtrà comprenſa manus effugit imago.
Virg. 2. *Æneid. v.* 293.

Nos huic nonne pares ? longè præcellitis. At quid
Virtus , ni ſortis faverit aura , juvat ?
Creditis eſſe oculos Fortunæ ? deindè relicta
Otia an æquiparat pontificalis honos ?
Otia, dotem olim Divûm propriam , otia rarò
Hoſpitibus ſervat, perfida Diva, ſuis.
Illam ne quære, occurret tibi ſpontè benigna ,
Morem habet hæc ſexûs ingeniumque ſui.
Quodam degebant vico , par nobile , amici
Queis facilem victum ſufficiebat ager.
Alter, opum veſana fames quem nocte dieque
Urebat , tandem , care ſodalis, ait :
Mecum , ô , ſi velles abſcedere ſedibus iſtis !
In patrio, ut noſti, nemo propheta ſolo.
Quæramus Fortunam alio ſub ſole faventem ;
Hanc tu quære tibi , cautior ille refert.
Non ego cœlum optem melius , melioraque fata ;
I , quò ſollicitus te trahit ardor opum.
Longùm non aberis , ſed ego indulgebo ſopori ,
Expectans reditum , dulcis amice , tuum.
Ambitioſus homo , vel ſi quis malit, avarus
Per juga , per valles , irrequietus abit.
Devenit inque locum , quem Diva volubilis unum
Incolit ante omnes ; dicitur *aula* locus.

---

16. *Pontificalis honos.*
Acceſſit titulis pontificalis honos.
Ovid. Faſt. l. 3. *v.* 420.

17. *Otia , dotem olim Divûm propriam.* Juxta Epicurum ejuſque aſſeclas , Divi dulci quiete fruebantur , ſecuri de iis quæ in orbe noſtro gerebantur.

31. *Longùm* pro *longo tempore.*
——— Non me , quique es , inulto ,
Victor nec longùm lætabere. *Virg.* 10. *Æneid. v.* 740.

Hìc ſedem ad tempus ponit, molliſſima dexter
Obſequio captat tempora quæque ſuo,
Aut cubet aut ſurgat princeps. Vacat omnibus ille
Sedulus officiis, aſſequiturque nihil.
Undè hoc? inquit, opes aliis quæramus in oris:
Attamen has ſedes, quam peto, Diva colit.
Quotidiè, me teſte, favens hunc viſit & illum.
Hæc moroſa, hoſpes cur negat eſſe mihi?
Non ſolet hìc ſemper gens ambitioſa placere;
Rem ſæpè experti me monuêre viri.
O quoſcumque, viri, tenet aula, valete, valete;
Pergite, quò pellax vos trahit umbra, ſequi.
Stare & apud Suratos Fortunæ templa feruntur:
Illuc tendamus. Vix ea; vela facit.
Gens ô terrigenûm, gens nata ex ære rigenti,
Credo, adamantæi pectoris ille fuit,
Qui liquidum tentavit iter, primuſque per undas
Auſus inexpertis pandere vela notis.
Quàm ſæpè, audaci percurrens æquora pinu,
In vicum tenuit lumina verſa ſuum!
Inſtrumenta necis cernit dùm ſaxa, latrones,
Ventos, tranquilli perfidiamque maris.

---

37. *Molliſſima*, i. e. *maximè opportuna.*
——— Et quæ molliſſima fandi
Tempora. *Virg Æneid.* 4. *v.* 293.

43. *Quotidiè*, pro ſingulis diebus.
Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis
De filio ægritudo.
Terent. Heaut. 3. 1. 14.
Quotidiè, inquit, ſpeculo vos uti volo. *Phædr. l.* 3. *f.* 7.

43. *Viſit* viſo, *pro* ad videndum eo, inviſo, adeo, convenio.
——— Quemdam volo viſere, non tibi notum.
Horat. l. 1. *Sat.* 9. *v.* 18.

Sic mortem ignotis operosè quærimus oris,
Quæ propior noſtras excubat ante fores.
Ad Mogolos adventat homo; profundere Divam
Tùm ſua Japoniis munera fama canit.
Huc volat; infelix onus illum feſſa gemebant
Æquora per varios ferre referre locos.
Longi adeò curſûs merces fuit unica, morum
Hanc legem è populis edidiciſſe feris:
O tu quem ſatis edocuit natura magiſtra,
È patriis caveas ſedibus ire procul.
Fortunam in Mogolis quam ſtultè quæſiit oris,
Fruſtrà in Japonidum vult reperire plagâ.
Ergò piget natale ſolum liquiſſe: peroſus
Tot curſus ſteriles, ad ſua rura redit.
Vix procul incæpit caros ſpectare penates,
Huic largos fletus gaudia blanda cient.
O fælix, inquit, proprii laris incola, ſola
Cui cura eſt votis imperitare ſuis!
Scit famâ tantùm, quid ſint & pontus & aula:
Scit, Fortuna, tuum quale ſit imperium,
Quæ noſtris fulgére oculis das eminùs aurum,
Et vanum ſpondes, inſidioſa, decus.
Extremam hæc ſimulacra avidi ſectamur ad arcton;
Nullam & pollicitis cernimus eſſe fidem.
Ergò ratum eſt; nuſquàm natalî ſede movebor,
Plus ſapiam, & melior ſors erit indè mihi.
Dùm tales agitat tacito ſub pectore ſenſus,
Fortunam & contra conſuluit ipſe ſibi;
Invenit hanc placidè reſidentem ad limen amici,
Securum in lecto quem beat alta quies.

FABULA XII.

Duo Galli.

LÆta duo galli placidæ otia pacis agebant;
 Gallina adventat, bella repentè flagrant.
Trojæ, Amor, exitium, rixæque es cauſa cruentæ,
 Quæ Xanthi, Divûm ſanguine, tinxit aquas.
Inter utrumque diù gallum pugnæ exitus anceps,
 Finitimis vulgat rem vaga fama locis.
Criſtata accurrit plebes, ſtudioque videndi
 Bellantes circum, denſa corona ſtetit.
Hìc non una Helene, ſpectanda nitentibus alis
 Victoris pretium, Marte favente, fuit.
È campo victus ſe proripit, utque pudorem
 Occultet, latebræ fugit in ima ſuæ.
Hìc decus amiſſum, raptos & deflet amores,
 Rivalem tumidum queis videt ipſe frui.
Quæque dies renovet quòd probrum, conſcia virtus
 Uritur, atque odium fit magis indè ferum.
Roſtra ſibi exacuit, pennâ diverberat auras,
 Ictibus & reſonis quaſſat utrumque latus.
Luctando ventos contra ſe exercet, & olli
 Æmulus, ad pugnam ſufficit arma furor.
Nec tamen his uſus; ſedit, qui vicerat, altis
 Ædibus, atque recèns parta tropæa canit.

2. *Flagrant.* Flagrat bellum. *Tit. Liv. de Bello punico.*
13. *Decus.* Decus *pro* gloriâ.
——— Et nos aliquod nomenque decuſque
Geſſimus. *Virg.* 2. *Æneid.* v. 90.
Id eſt, & nos aliquid famæ & gloriæ comparavimus.

Vocem audit vultur; jam, gloria amorque, valete,
Ille omnis faſtus, vulturis ungue perit.
Fatali vice habet victoris præmia victus,
Gallinam & tenero blandulus ore vocat.
Oviparas matres ô quàm garrire juvabat!
Se ſponſo inſigni multa marita dedit.
Sors amat hunc ludum; qui victor cumque ſuperbit,
Triſte ſibi exitium ſæpè parare ſolet.
Inſtabili ſemper cave ſorti fidere, vel tùm
Quandò triumphato clarus ab hoſte redis.

Digitized by Google

FABULA XIII.

Ingratus & iniquus Hominum in Fortunam animus.

MERCATOR pelago multùm quæſiverat auri;
Ventorum felix ludere ſæpè minas,
Vorticibus, ſcopulis ſolvit portoria nullis,
Fortuna immunes fecit amica rates.
Jura ſua ex aliis dùm Parca, Thetiſque repoſcunt,
Ad portum intactis navibus ille venit.
Nil lucri ſocius, nil ſurripit inſtitor: audet
Perjurus ſacram fallere nemo fidem.
Quo libuit pretio, caſiamque & ſacchara vendit,
Tabacum & Eoo pocula ficta luto.
Auxit theſaurum nimii dementia luxûs,
Fluxêre in loculos, denſus ut imber, opes.

1. *Quæſiverat.* Quærere, *pro*, acquirere, comparare. Conſerva, quære, parce: fac plurimùm illis relinquas. *Terent. Adelph.* 5. 3. 27.

Id eſt, rem familiarem, attentè ſerva, novam compara, parcè ea utere, &c.

——— Denique ſit finis quærendi.
Horat. l. 1. *Sat.* 1.

Id eſt, opes acquirendi.

3. *Portoria.* Portorium eſt pretium vehendi, ſeu merces quæ datur portitoribus, ſeu iis, qui vehunt navigio; at hic ſumitur pro vectigali quod debetur pro mercibus deportatis, idemque eſt, quod gallicè vocamus *Douane*, *Péage*.

5. *Thetis* pro *mare*.

Et tentare Thetin ratibus. *Virg. Eglog.* 4. *v.* 32.

7. *Inſtitor* eſt negociator ita appellatus ex eo (inquit Ulpianus, *l.* 3.) quòd negotio gerendo inſiſtat.

Vir tumido aureolos duplices tantùm ore ſonabat ;
   Gaudet equos, rhedas, gaudet habere canes.
Feſtæ ſunt epulæ, ſua quæ jejunia dicit.
   Vicinus ſumptum deliciaſque ſtupet ;
Sic hominem alloquitur : tanto nitet undè paratu
   Menſa tibi ? Undè rogas ? Sic nitet arte meâ ;
Non operâ alterius : cautè tentare periclum
   Dexter ego, & nummos ritè locare meos.
Illectus ſed homo nimiâ dulcedine quæſtûs,
   Rursùs committit fluctibus omne lucrum.
Nil exindè ſuis vidit ſuccedere votis.
   Sortis cauſa malæ, mens malecauta fuit.
Altera non æquè partito pondere onuſta
   Navis, primo auſtri turbine verſa, perit.
Altera, cui deerant, queis ſe defenderet, arma,
   Impete prædonum capta repentè fuit.
Tertia cùm portum tetigiſſet, inutilis hæſit,
   Nullus tollendis mercibus emptor adeſt.
Cœperat inſanus jam tùm decreſcere luxus,
   Inſtitor & pactam fallere ſæpè fidem.
Vir, cujus currum & ſtupuerunt oppida pompam,
   Qui multùm dapibus deliciiſque dedit,
Qui magnis vaſtas extruxit ſumptibus ædes,
   Omnibus exuitur protinùs ille bonis.
Paupere quem cultu mœrentem ut vidit amicus :
   Quî tu factus inops ? Hei mihi ! Sorte malâ.
Macte animo, alter ait ; ſi Sors vetat eſſe beatum,

---

13. *Aureolos.* Aureolus eſt quandòque nomen ſubſtantivum, diminutivum ab aureo, pro nummo aureo.

Qui crepet aureolos, forſitan unus erit.
Martial. lib. 5. 20.
Aureolos ultrò quattuor ipſa petit.
Idem. lib. 10. 75.

Saltem te ſani pectoris eſſe decet.
Haud ſcio ſitne uſus monitu; aſſignare ſed arti
Res lætas propriæ quemque ſolere ſcio.
Errorem noſtrum ſi damna ſequantur, acerbis
Fortunam mos eſt increpitare probris.
Noſtrum eſt quod gerimus benè: quod malè, Sortis iniquæ;
Innocui ſemper nos ſumus, illa nocens.

FABULA XIV.

Mulieres Fatidicæ.

Sæpius à caſu dimanat opinio : ſemper
Ut plebs ad te unum confluat, illa facit.
Firmari exemplis noſtra hæc ſententia poſſit,
Quæ dant è quâvis conditione viri.
Undique judicium eſt præceps, menti inſitus error,
Cæcus amor ſectæ, ſtultitiæque tenax.
Res nunquàm aut rarò librantur lancibus æquis;
Hic torrens omnes abripit : ecquid agas ?
Nequicquàm obſiſtas contrà, decurrat oportet;
Mos erit hic ſemper, ſemper ut antè fuit.
Se vatem dominâ mulier jactabat in urbe :
De quovis caſu turba rogabat eam.
Panniculus vilis fueratne amiſſus ? Avebat
Nubere dilecto nùm qua puella proco ?
An vir erat nimiùm vivax, materve moleſta,
Zelotypa aut conjux ? Currere quiſque citò.
Scitari & vetulam, veraci pandat ut ore
Eſſe ſibi quivis quæ manifeſta velit.

---

6. *Tenax.*

——— Sanctus haberi
Juſtitiæque tenax, factis dictiſque mereris ?
Juvenal. 8. *Sat.* 25.
Tam ficti pravique tenax, quàm nuntia veri.
Virg 4. *Æneid. v.* 188.

12. *Rogabat.* Rogare *pro* interrogare. De iſtâc rogas virgine ? *Terent. Eun.* 4. 5. 54.
I. e. de iſtâ virgine me interrogas, à me conſilium quæris ?

Ars tota hujus erat ſolers induſtria, verba
Myſtica, frons audax, ſors aliquandò favens.
Hæc mirè coëunt: atque ut clamaret inepta
Plebs, ô prodigium! ſæpè fuêre ſatis.
Ergò ſit hæc mulier licèt ipſa inſcitia, vates
Delphica cenſetur, quam Deus intùs agit.
Seſe in parte domûs, tecto propiore locârat;
Hìc loculos implet, vaticinando, ſuos.
Subſidium aliud quamvis non adſit, honeſtam
Indè domum atque viro nobile munus emit.
Illius ædiculam nova protinùs occupat hoſpes,
Ad quam cæco ardens impete turba ruit;
Cum famulis proceres, nuptæ innuptæque puellæ,
Ut quondàm, hanc adeunt & ſua fata rogant.
Ædicula ergò refert Cumææ virginis antrum;
Fecerat hunc celebrem femina prima locum.
Teſtando Superos, fruſtrà altera femina clamat:
Fatidicam me! me vultis habere joco.
O cives! legere haud didici, ludique magiſter
Me docuit, præter prima elementa, nihil.
Et plura adjecit, ſed protulit omnia ſurdis;
Edere quæ neſcit fata, coacta fuit.

---

29. *Ædiculam.* Ædicula *pro* cellulâ in ædibus, ſeu *pro* parvo cubiculo. In ædiculam illanc, ſeorſùm concludi volo. *Plaut. Epid.* 33. 21. *Gallicè.* Je veux qu'on l'enferme dans cette petite chambre, qui eſt ſéparée des autres.

38. *Prima elementa* ſunt apud *Horatium*, prima litterarum rudimenta, quæ pueri docentur.

—— Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Horat. l. 1. *Sat.* 1. *v.* 25.

Confertimque invita probos ſeponere nummos ;
  Cauſidicis geminis plus facere una lucri.
Rem juvat & pauper cultus, viliſque ſupellex,
  Subnixa & quadruplex impare ſella pede.
Scoparum baculus, nigri fuligine poſtes,
  Inſignem redolent omnia ritè magam.
Splendente in thalamo dixiſſet femina verum,
  Ludibrium ventis irrita verba forent.
Ceperat hæc animos, propior cui tegula ſedes,
  Per tota huic ſoli compita nomen erat.
Intereà in laribus vacuis anus altera friget.
  Plebem ad ſe ſignum penſile ſæpè trahit.
Quemdam ego cauſidicum multùm diteſcere vidi,
  Haud aptata humeris quòd toga deflueret.
Fama erat eſſe virum, quem turba audire tonantem
  Certabat ; verùm, cur ea fama fuit ?

---

41. *Probos nummos.* Probus propriè dicitur de homine, qui eſt bonus. Probus eſt quaſi prohibus quòd ſe à delinquendo prohibeat, inquit Feſtus. Per metaphoram dicitur etiam de rebus inanimatis, argentum probum non adulteratum. Nummi ſexcenti hìc erunt probi. *Plaut. in Perſâ.* 3. 3. 33. Proba merx facilè emptorem reperit. *Idem. in Pœnulo.* 1. 2. 131.

46. *Redolent.* Redolere propriè eſt multùm olere.

Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.

Virg. 4. *Georg.* 169.

Redolere dicitur etiam tranſlatè. Definitio ipſa genere ipſo doctrinam redolet. *Cic. de Orator.* 118. Oratio redolens antiquitatem. *Idem. de claris Orator.* 171.

FABULA XV.

Felis, Muſtela & Cuniculus.

Junior è propriâ cùm ſede cuniculus eſſet
Egreſſus, nitido ſole iterante diem,
In ſedem irrupit ſubitò muſtela doloſa,
Atque ſuos audax intulit intrò lares.
Hoſpitium haud magni fuit invaſiſſe laboris,
Tale nihil metuens dùm procul eſſet herus.
In prato, auroræ primam dabat ille ſalutem,
Delibans roris deliciaſque thymi.
Poſt epulas, varios poſt curſus atque recurſus,
Præcipiti repetit concava tecta pede.
Muſtelam ad limen roſtrum ut protendere vidit,
Proh Superi! patrio de lare pulſus, ait:
Dî! quibus hoſpitium curæ eſt, quid cerno? Sonante
Abſque tubâ, heus, noſtris, advena, cede focis.
Sin: propero indigenas turmatim accerſere mures,
Teque unam bello tota caterva premet.
Haud commota minis retulit fera naris acutæ:
Qui prior invadit, poſſidet ille ſolum.
O ſanè egregiam belli, arcta mapalia, cauſam!
Reptando quæ vix ipſe ſubire vales.
Nempè ego ſcire velim, quonam tibi jure penates,
Quamvis regna forent, ſemper habere datur.
Cur ea ſeu nato Marcelli, ſive propinquo,
Non mihi, non Paulo, tecta manere decet?
Objecit morem, priſcumque cuniculus uſum,
Hujus me ſedis lex ſacra fecit herum.
Poſt atavos Petro, deindè obtigit illa Simoni;
Poſt patrem extinctum, debuit eſſe mea.

Jus mihi quod jactas, titulis nùm prævalet iſtis ?
Tùm muſtela : nihil jurgia tanta juvant.
Componamus, ait, Rapilardo judice, litem.
Hic judex felis relligioſus erat,
Qui pii eremitæ vitam taciturnus agebat ;
Sanctulus, & blandâ fronte placere vafer.
Ritè togâ intectus villoſâ, pinguis & amplus,
Promptiùs & lites quaſque ſecare ſagax.
Arbiter eligitur : majeſtas deindè togata
Siſtere ſe ſolio cernit utrumque ſuo.
Accedatis, ait, ſimul accedatis, amici ;
Sum ſurdaſter ego ; cauſa ſenecta mea eſt.
Securi accedunt : venator at optimus aſtum
Stat celans, propior dùm ſit uterque ſibi ;
Hamataſque manus ſimul hinc immittit & indè,
Devorat & geminos ; lis ita nulla fuit.
Reguli adumbrantur fabellâ, à regibus ipſis
Qui ſua componi jurgia ſæpè volunt.

---

33. *Intectus* pro *tectus*. Stramento intecta omnia. *Tit. Liv.* 2. 3.

——— Intexit caſſide crines.
Statius 4. *Theb. v.* 303.

FABULA XVI.

Caput & cauda Serpentis.

PARTES anguis habet geminas mortalibus æquè
Infeſtas, caudam ſcilicet atque caput.
Nomen apud nigras his eſt inſigne ſorores,
Quæ nent luctificâ triſtia fata colo.
Has inter quondàm mota eſt lis aſpera partes,
Dùm vult cauda prior, vult prius ire caput.
Nam caput aſſuêrat ſemper præcedere caudam;
Sic ergò ad Superos æmula cauda queri:
Quàcumque huic placitum cogor perſæpè vagari;
Siccinè me ſemper vivere velle putat?
Jam valeat: capitis patiarne pediſſequa dici?
Hujus ego, Divûm munere, nata ſoror.
Par mihi ſanguis ineſt, par virtus, parque veneni
Copia; deferri par quoque debet honos.
Hoc tandem, Superi, depoſco; jubete, viciſſim
Ante caput nobis carpere detur iter.
Sic ducam ut nequeat de me juſta eſſe querela,
Experta eſt faciles in ſua damna Deos.

9. *Quàcumque* pro *per quamcumque partem.* Quàcumque iter facit. *Cic.* 5. *Verr.* 44.

11. *Valeat, vale, valete*, eſt benè precantis & ſalutantis in diſceſſu. *V. g.* Terent. *Eun.* 5. 10. 110.

Vos valete & plaudite.

Valeas, valeat, valeant. Non eſt benè precantis, ſed cum indignatione renuntiantis. Valeant qui inter *nos* diſſidium volunt. *Terent. Andr.* 4. 2. 13.

Dùm favet, interdùm ſævit clementia cœli,
  Surdâ utinam cæcas reſpuat aure preces!
Caudam exaudivit. Mediâ nil luce videbat
  Dux nova, ceu cryptæ fornice clauſa foret.
Nunc truncum offendit, nunc obſtat marmor eunti,
  Sæpè viatoris ſiſtitur icta pede.
Germanam ſtygias improvida duxit ad undas.
  Væ regnis, error par ubi corda tenet.

---

24. *Siſtitur.*

Pace tamen ſiſti bellum, nec in ultima ferro
Decertare placet. *Ovid. l.* 14. *Metam. v.* 803.

Ita tamen diſceditur, ut idibus Septembris P. Quintium ſiſti Sext. Alphenus promitteret. *Cic. pro Quint.* 29.

FABULA XVII.

Animal in Lunâ.

Vult ſophus ille homini ſenſus illudere ſemper,
Hic jurat nunquàm falſa referre ſophus.
Rectè ambo cenſent : quiſquis res ſenſibus unis
Æſtimat, hunc ſemper devius error agit.
Sed qui ponderibus rationis noverit uti,
Advertat quantùm diſtet imago rei ;
Hanc quodnam medium circumſtet an unda vel aër,
Inſuper an vigeant organa ſana ſibi :
Tandem inſtrumentum cautus perpendere curet,
Non poterit falli ſenſibus ille ſuis.
Hæc ritè inſtituit naturæ providus autor :
Cauſam olim referet pagina multa tibi.
Aſpicio ſolem : quæ ſolis forma ? Videtur
È noſtro orbe trium circulus eſſe pedum.
Aſt ipſum in propriâ ſi poſſim ſede tueri,
Tunc naturæ oculus jure ſit ille mihi.
Molem intervallo dimetior : indicat illam
In chartâ duplex angulus atque latus.

3. *Unis.* Unus eleganter ponitur in plurali. Ab unis hoſtium copiis bellum geri. *Cicer. pro lege Maniliâ.* 9.

——— Nunc unæ quinque remorantur minæ.
Plaut. Pſeudol. act. 1. ſc. 1. v. 52.

Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
Terent. Andr. 4. 1. 51.

5. *Ponderibus uti.*

——— Cur non
Ponderibus moduliſque ſuis ratio utitur ?
Hor. l. 1. Sat. 3. v. 77.

17. *Molem.* Moles pro magnitudine.

——— Vaſtâ ſe mole moventem.
Virg. 3. Æneid. v. 656. de Polyphemo.

Sol ſtolido eſt planus, mihi ſpiſſum excreſcit in orbem;
Hunc ſiſto; & terras, turbinis inſtar, ago.
Sic quidquid referunt oculi de ſole, refello.
Hic, vel quandò errat, nil mihi ſenſus obeſt.
Quolibet in caſu retegit mens callida verum,
Quod nobis falſi nuntia imago tegit.
Auri, oculoque meo ſum diſcors: promptior ille eſt
Rem fortè, hæc nimiùm tarda referre ſonos.
Sola mihi ratio dux eſt atque arbitra: rectum
Ipſa facit baculum, quem malè curvat aqua.
Illâ prælucente, oculus me fallere neſcit,
Quanquàm non mendax deſinit eſſe mihi.
Si teſti credam, quo plebs deluditur omnis,
Femineam faciem ſplendida luna gerit.
An lunæ hæc facies? Minimè: cur cernimus ipſam?
Forma ex imparibus naſcitur iſta locis.
In lunæ vultu pars nulla eſt lævis & æqua,
Panditur hæc campis, montibus illa tumet.
Hîc hominem, taurum ac elephantum effingere miris
Sæpè tibi poſſunt lumen & umbra modis.
Ante annos aliquot vidit ſimilem Anglia formam,
Proxima dùm gemini luna fit arte vitri.
Detecta in lucente globo nova bellua; ſeſe
Clamore inſolito prodit ubique ſtupor.
Spontè ſuos, aiunt, mutavit Cynthia vultus,
Quò magni eventûs triſtia ſigna daret.
Forſitan hinc tanto ſævit Bellona tumultu,
Totque inter reges bella cruenta ciet.

---

25. *Diſcors.*
Ipſa ſibi diſcors, tanquàm mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra favilla duas.
Ovid. l. 5. *Triſt.* 35.
Patri diſcors. *Velleius Paterculus.*

Rex etiam accurrit : tam pulchras ſuſpicit artes,
Utque decet regem, comprobat hisque ſavet.
Ipſe in præſago conſpexit ſidere monſtrum :
Inter vitra latens muſculus illud erat.
In medio belli ſic cauſa reperta ſpecillo,
Non potuit riſum turba tenere ſuum.
Gens fortunata ! ô Gallis ecquandò licebit,
More tuo, his ſtudiis tempora tota dare !
Nos ludo Mavors amat exercere cruento ;
Uberior laudum naſcitur indè ſeges.
Noſtri permetuant hoſtes diſcrimina Martis,
Nos eadem impavidâ quærere fronte decet.
Nam Lodoicis amans vovit Victoria ſemper
Ire comes, greſſus quà feret ille ſuos.
Hujus & ob lauros faſtis celebrabimur olim:
Nec nos Aoniæ deſeruêre Deæ.
Nec deſunt noſtræ ſua genti gaudia : pacem
Votis, non lachrymis, Gallia noſtra petit.
Pace frui novit Carolus ; ſi bella placerent,
In bellis noſſet grande parare decus ;
Atque ſuos magna ad ſpectacula duceret Anglos,
Quæ placidi meliùs nunc ſine Marte vident.

---

56. *Laudum ſeges.* Seges propriè ſignificat fruges eorum ſeminum, ex quibus conficitur panis, nondùm demeſſa.

——— Tùm ſegetes altæ, campique natantes.
Virg. l. 3. Georg. v. 198.

Seges etiam dicitur ea pars agri, quæ arata eſt.

Illa ſeges demùm votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit.
Virg. 1. Georg. v. 47.

Seges per metaphoram ad alias res transfertur. Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ. Cic. *pro Milone.* 36.

Si litem intereà dirimet, laus quanta ſequetur!
Res quænam tanto principe digna magis?
Auguſti-ne minor pacatis gloria terris,
Quàm Julî, invictâ dùm gerit arma manu?
Gens felix nimiùm! & nobis pax aurea quandò
Artibus ingenuis uſque vacare dabit?

Finis Libri ſeptimi.

Digitized by Google

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER OCTAVUS.

FABULA PRIMA.

Mors & Moribundus.

Qui ſapit, hunc nunquàm lethi improviſa rapit vis,
Carpere ſupremum eſt uſque paratus iter.
Se priùs admonuit prudens, quo tempore demùm
Debeat hanc ultrò quiſque tenere viam.
Tempora funereum complectitur omnia tempus:
In momenta, horas jus habet, inque dies.

Digitized by Google

Libera fatali non eſt pars ulla tributo:
Mors omnes æquè ſub ſua jura vocat.
Dat regum natis quæ lucem cernere prima,
Hos ſæpè æternis noctibus hora premit.
Te commendet honos, te gratia, floſque juventæ
Aut virtus; Mortem non cohibere queas.
Abſque pudore rapit paſſim Mors omnia; quondàm
È toto exuvias ditior orbe feret.
Nulla quidem res nota magis, ſed vera fateri
Cogor; nulla tamen plus inopina venit.
Æger qui centum complêrat & ampliùs annos,
Sic cœpit, letho jam propiore, queri.
O Mors! tam ſubitò quid me diſcedere cogis?
Debueras ſaltem me monuiſſe priùs.
Hæredis nomen tabulis dùm ſcribere poſſim,
Ah! precor, exigui temporis adde moram.
Præcipitine decet ſic fato occumbere? Terris
Nec me ſolum uxor cedere noſtra velit.
Cum dignâ ut jungam pronepotem conjuge, reſtat;
Una, ſine, addatur ſedibus ala meis.
O Diva immitis! quàm me crudeliter urges!
Tùm Mors: quid quereris me nimis eſſe citam?
Te non oppreſſi, ſenior, ſubito impete, complent
Centum anni vitæ tempora longa tuæ.

---

8. *Vocat.*
Omnia ſub leges Mors vocat atra ſuas,
Ovid. ad Livian. v. 360.

25. *Pronepotem.*
——— Quia rettulit Ajax
Eſſe Jovis pronepos; noſtri quoque ſanguinis autor
Juppiter eſt. *Ovid.* 13. *Metam. v.* 142.

26. *Alæ.* Alæ atriorum, à Vitruv. *l. 6. cap.* 3. ſic vocantur, quòd ſint ad latera ædium.

Urbs

Urbs domina an geminos, queis tam provecta ſenectus,
  Mortales an habet Gallia tota decem?
A me debueras, inquis, ſaltem antè moneri,
  Quò poſſes rebus conſuluiſſe tuis.
Jam perfecta domus, pronepoti ſponſa jugata,
  Hæres & ſcriptus, me veniente, foret.
Non ego te monui, cùm ſenſus obtudit ætas;
  Deſtituit priſcus cùm tibi membra vigor;
Cùm dura auris erat, pes tardus, hebeſque palatum,
  Cunctaque ſemianimo viſa periſſe tibi?
Aſtrorum princeps curâ tibi lucet inani,
  Quæ te nil tangunt fles bona, mentis inops.
Ægros, efflantesve animum, feretrove jacentes
  Expoſui ſocios ſæpè ſub ora tibi.

---

36. *Hæres*, ſecunda ſyllaba ſemper producitur.
——— Ut ſcribare ſecundus
Hæres, & ſi quis caſus puerum egerit orco.
Horat. l. 2. *Sat.* 5.
Audieris, hæres. Ergò nunc Dama ſodalis
Nuſquam eſt. *Horat. ibid.*

42. *Tangunt.* Tangere *pro* afficere, movere.
Donec eram ſoſpes, tituli tangebar amore.
Ovid. l. 1. *Triſt.* 1. *Eleg. v.* 53.
——— Miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt. *Virg.* 12. *Æneid. v.* 933.

44. *Sub.* Hæc præpoſitio utrique caſui ſervit accuſativo & ablativo, & ſæpè ſignificat *ante*. Sub oculos, adactum pilum in vitalia capitis venerat. *Plin. l.* 8. *cap.* 7.
——— Poſteſque ſub ipſos
Nituntur gradibus. *Virg.* 2. *Æneid. v.* 442.

44. *Ora.* Os ſæpè ſumitur pro præſentiâ.
——— O terque quaterque beati
Queis ante ora patrum, Trojæ ſub mœnibus altis,
Virg. 1. *Æneid. v.* 99.
Quæ palàm in ore atque oculis omnium geſta ſunt. *Cic. in Verrem*, 81.

Dic, precor, hæc quid erant, totidem niſi nuntia ſigna?
Nunc agedùm, migra, nilque repone, ſenex.
Hæredem haud ſcriptum tibi non reſpublica curat;
Tales ore ſonos Mors beneſana dedit.
Optarem, ſenior de vitâ cederet, inſtar
Convivæ, grates qui benè pranſus agit.
Colligeretque animo tandem ſua vaſa libenti;
Nam mora ſi qua datur, quàm brevis eſſe ſolet!
Stulte ſenex, quereris; juvenes en aſpice fortes,
Quâ ſit mente tibi mors patienda, docent.
Aſpice, ut ardentes certatim ad funera currant,
Pulchra & clara licèt, certa & acerba tamen.
Inclamans fruſtrà moneo, ſurdum alloquor: horret
Plus Mortem, formam qui propè Mortis habet.

FABULA II.

Sutor & Quæſtor.

SUTOR ab aurorâ cantabat noctis ad umbram,
Dans tremulo varios gutture mille ſonos.
Mira videre hominem tibi, mira audire voluptas.
Plus animi felix ille Biante fuit.
Haud ita vicinus quidam, auro totus amictus,
Cui cantus rari, rarior ipſe ſopor.
Quæſtor erat; levior ſi manè obrepat ocellis
Somnus, ſutoris carmine pulſus abit.
Ergò Deum incuſat, venalem haud eſſe ſoporem,
Quales in medio potus & eſca foro.
In ſua tecta vocat cantorem: Gregori amice,
Fert tibi quale lucrum quilibet annus? ait.
Tunc hilaris ſutor joculans: Clariſſime quæſtor,
Haud lucrum ſoleo ſic numerare meum.
Æſque mihi una dies quod dat, rarò altera cernit;
At curat victum quæque parare ſuum.
Nil aliud precor, extremum niſi ut aſſequar anni.
Ergò quid lucri fert tibi quæque dies?
Hæc plus, illa minùs. Quæſtum res una recidit:
Sin, artis merces ſat foret ampla meæ.

11. *Gregori.* Gregorius eſt vox latina, orta à voce græcâ Γρηγοριος, quæ derivatur à γρηγορέω, vigilo; itaque vocabulum *Gregorius* ſignificat vigilantem, & in linguâ latinâ eam lem debet ſervare quantitatem ac in græcâ, ubi tres primæ ſyllabæ dactylum faciunt, ac proindè prima ſyllaba eſt longa.

17. *Extremum anni* pro extremâ parte anni. Extremo anni. *Tacit.* 6. *ann.* 27. In extremo Ponticæ oræ. *Idem.* 3. *Hiſt.* 27.

Partem anni vacuis deperdere cogimur horis;
  Per feſtos lucrum deperit omne dies.
Feſta nocent feſtis, docet altâ ſede verendus
  Cùm paſtor, ſanctum nuntiat uſque novum.
Candori ingenuo ſubridens quæſtor; amice,
  Evehere ad ſortem te volo regis, ait.
Hos tibi do nummos centum, & ſervare memento;
  In promptu tibi, res cùm tua poſcet, erunt.
Terra tulit noſtros argenti quidquid in uſus
  Pluribus à ſeclis, ſutor adeſſe putat.
Indè domum repetit: cellam rimatur, eodem
  Infodit & nummos lætitiamque cavo.
Jam nulli cantus: vox hunc ſua deſerit, ex quo
  Accepit munus, quod mala noſtra parit.
Exulat è laribus ſopor: hîc ſtabulantur inanis
  Terror, ſuſpicio turbida, cura vorax.
Luce agit excubias; felem ſi nocte ſtrepentem
  Audierit, raptat perfida felis opes.
Vivere ſic demùm tædet, ditemque reviſit,
  Cui ſomnum haud modulis rumpit, ut antè, ſuis.
Reddo tibi, dixit, centum, tua munera, nummos;
  Somnos & cantus tu mihi redde meos.

---

35. *Stabulantur.* Idem, quod ſtabulant, *id eſt*, habitant. Centauri in foribus ſtabulant. *Virg. Æneid. 6. v. 286.*
—— Pecudes ſtabulantur in antris. *Ovid. 13. Metam. v. 822.*

FABULA III.

Leo, Lupus & Vulpes.

LONGA ætate leo fractus podagrâque, ſenectam
  Sanari medicâ juſſerat arte ſuam.
Admoneas regem fieri non poſſe quod optat,
  Rex ſurdâ monitus reſpuet aure tuos.
Iſte omni edixit medicos è gente vocari:
  Scilicet ars medicis nulla carere ſolet.
Ergò, quæ novit quiſque ut medicamina monſtret,
  Undique turba frequens luſtra leonis adit.
Clauſa ſuo placidè vulpes ſtetit una cubili,
  Captare at regem quæſiit indè lupus.
Abſentem ſalibus ſocium inſectatur iniquis,
  Componit princeps dùm ſua membra toro.

---

4. *Reſpuet aure.* Qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur. *Cic. in Piſonem*, 45.

10. *Captare* pro *tentare & conari*, ut aliquem vel decipiamus, vel illectamentis pertrahamus ad nos.

Injurium autem ulciſci adverſarios? Aut quâ viâ captent te illi, eâdem ipſos capi? *Terent. Hecyr.* 1. 1. 16.

Dùm me captares, mittebas munera nobis.
Martial. lib. 9. 90.

10. *Quæſiit* pro *velle*, *contendere.* Potiſſimùm è monte aliquo in alium tranſire quærentes. *Plin.* 8. *cap.* 53.

——— Ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma viros fortunave merſit?
Virg. Æneid. 6. *v.* 614.

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit calendas ponere. *Hor. Epod. Od.* 2.

Rex furit ; admoto vulpem detrudite fumo
De latebrâ ; citiùs ſe mihi ſiſtat, ait.
Juſſa venit vulpes ; ſiſtit ſe principe coram,
Admonita artificem criminis eſſe lupum.
Quàm vereor, rex magne, animum-ne prava rebellem
Lingua meæ cauſam dixerit eſſe moræ!
Solvebam at votum : mihi ſedula namque ſalutis
Cura tuæ ſuaſit viſere templa Deûm.
Quin doctis retuli medicis, rex maxime, morbum,
Sollicitat juſto quî tua corda metu.
Te nimis invalidum calor unus deficit ; illum
Depulit è venis ægra ſenecta tuis.
Vivo tolle lupo pellem : dùm tota calebit
Fumabitque recens, hâc tibi membra tege.
Vim reparare ſenis non ars præſentior ulla ;
Næ, tibi pelle lupus commoda veſtis erit.
Egregia effeto regi medicina videtur :
Mox direpta cutis membraque ſecta lupo.
Commoda bina ſimul tunc præſtitit ille leoni:
Pelle ſuâ veſtem, prandia carne dedit.
Aulice, parce tuos conſortes perdere ; regem,
Quæ nulli noceat, ſi potes, arte colas.
Aulam apud invaluit mos, perſolvatur ut uſque
Parva bono merces, atque quadrupla malo.
Ipſe tuam experiêre vicem, aſſentator inique,
Ignoſcunt nunquàm, quos tenet aula, viri.

---

13. *Detrudite de latebrâ.* Detrudi de ſaltu, agroque communi. *Cic. pro Quintio*, 28.

FABULA IV.

AD DOMINUM BARILLONEM,

APUD ANGLOS LEGATUM.

Vis Fabularum.

LEGATUSNE poteſt deſcendere vertice honorum,
Pronâ ut vulgares audiat aure jocos?
Auſim offerre tibi muſæ figmenta jocoſæ?
Te-ne decent luſus, carmina noſtra, leves?
Prodierit grandi ſi quandò ſuperba cothurno,
Nùm tibi dicetur noſtra camœna procax?
Quas lites muſtela agitatque cuniculus, haud tu
Curas, ſollicitum quem graviora tenent.
Nil moror, iſta legas, vel non, modò caveris in nos
Totius Europæ ne ſimul arma ruant.
Si decies denis terrarum è partibus hoſtes
In francum coeant, mente lubente feram.
Noſtros ſed geminos reges velit Anglia nexum
Rumpere amicitiæ, non ego ferre potis.
An non inſignem Lodoicum mille trophæis,
Otia ſub lauro carpere tempus adeſt?
Herculis alterius quæ tandem haud dextra fatiſcat,
Hujus hydræ indomitum feſſa ferire caput?
Ergone truncato ſurgit monſtro altera cervix
Borboniâ rursùm comminuenda manu?
O, cui mens ſolers motus ſe flectere in omnes
Ut libet eloquio corda potente rapit;

Si potis es blandas animos mulcere per artes,
Si cadit auſpiciis ſæva procella tuis,
Centum agnos mactabo tuis altaribus; hoſpes
Parnaſſi quanquàm vix dare tanta valet.
Dùm ſtem pollicitis, læto, precor, accipe vultu
Hæc thuris modici, quæ tibi dona fero.
Fervida ſinceri vatis ne reſpue vota,
Hiſtoriamque tibi quam mea muſa dicat.
Expreſſa hîc vero tua lucet imago colore,
In laudes parco dicere plura tuas.
Quas tibi virtutes Livor non ipſe negaret,
Ne fusè pandat pagina noſtra, vetas.
Maximus orator quondam florebat Athenis,
Civis ubi vanus mobile pectus habet;
Inſtare ut vidit patriæ diſcrimen apertum,
Pulpita conſcendens illicò verba facit.
Nil non molitur vir, ut imperioſa potentis
Vis ſuadæ cives, libera corda, domet.
Exponit verbis gravibus commune periclum:
His aurem docilis pandere nullus erat.
Advocat orator, motu vehemente, figuras,
Vel gelidis ardor mentibus undè venit.
Evocat è tumulis umbras, tonat, increpat, urget;
Afficitur nemo, fert levis aura ſonos.
Non dabat aſſuetas his nempè fragoribus aures
Nota adeò capitum mobilitate fera.

24. *Cadit.* Cadere, pro deſinere, ceſſare.
——— Cecidit tremendæ
Flamma chimæræ. *Horat. lib.* 4. *Od.* 1.
Quo ſigno caderent auſtri. *Virg. Georg.* 1. 354.
——— Si cadit ira maris. *Ovid. Heroid.* 18. *Epiſt.* 2.

47. *Aures dare.* Etenim, cùm multos dies, aures meas Acutilio dediſſem, non mihi grave duxi ſcribere ad te de illius querimoniis. *Cic.* 1. *Attic.* 4.

Nugaces quoſdam puerorum pugna moratur,
Fert oculos aliò cætera turba vagos.
Orator quid agat? Rationum pondere miſſo,
Arte animos tentat ſic revocare novâ.
Anguillâ comitata Ceres & hirundine quondàm
(Sic nempè orditur) carpere cœpit iter.
Decurrens campis fluvius remoratur euntes,
Præpetibus pennis tranſvolat ales aquas;
Tranſmittit facili labens anguilla natatu.
At Dea quidnam egit? turba repentè rogat.
Quidnam egit? Subitâ vobis ſuccenſuit irâ,
Nænia ſollicitos quos puerilis habet.
Vos Cereris populum, ſolos è gente pelaſgâ,
Inſtant quæ patriæ, non mala ſumma movent.
Quin potiùs, quid agat Macedûm rex, quiſque rogatis?
Ceu ſtimulo, plebs hâc excita voce fuit.
Quòd captæ fuerint aures, menteſque ſubactæ,
Eſt data fabellæ gloria tota brevi.
Atticus eſt animo noſtrûm quiſque: Atticus & ſum
Ipſe ego, dùm mores corrigit hicce jocus.
Trita adeò mihi ſi narretur Pellis-aſelli,
Hoc commentum avidâ protinùs aure bibam.
Eſt, aiunt, ſenior mundus; credo: attamen ille
Paſci & adhuc nugis, ceu puer eſſet, amat.

---

57. *Tranſmittit.*
Tranſmittunt curſu campos. *Virg. 4. Æneid. v. 154.*

FABULA V.

Homo & Pulex.

INDIGNAS homine ob cauſas, perſæpè moleſtis
  Audemus votis ſollicitare Deos.
Quolibet in noſtrûm velut illos lumina ſemper
  Figere lex adigat, quam violare nefas.
Quò ſe cumque velit minimus vel homuncio ferre,
  Mente agitet fatuus quidquid inane levi:
Cœlicolas omnes, omnemque movebit Olympum,
  Ceu ſit cum græcis lis dirimenda phrygûm.
Pungi humerum ſtolidus ſibi quidam à pulice ſenſit,
  Intra linteoli diffugit illa ſinus.
Quin, ait, hâc terras hydrâ quæ vere revixit,
  Alcide, purgas? Te decet iſtud opus.
Juppiter, ô! quid agis? Quin, ruptis nubibus, ultor
  Perdere deproperas exitiale genus?
Occidat ut pulex unus, Divûm urget utrumque,
  Hic fulmen, clavam commodet ille ſuam.

---

3. *Velut adigat. Velut*, adverbium ſimilitudinis aliquandò idem ſignificat, *ac veluti ſi, tanquam.*

——— Velut uſque
Vinctus eas. *Horat. l. 2. Sat. 7. 30.*
——— Velut arguat auſter. *Juvenal. Sat. 4. 59.*

4. *Figere.*
Hic, qui nunc in humo lumen miſerabile figit,
  Non iſto vultu, cùm tulit arma, fuit.
Ovid. Triſt. l. 4. Eleg. 2. v. 29.

FABULA VI.

Mulieres & Arcanum.

EST onus arcano gravius, me judice, nullum;
Illud ferre diù femina rara valet.
Notus & eſt nobis oneri vir multus eidem
Impar, qui dici femina jure queat.
Uxorem juxta recubat dùm nocte maritus,
Ut probet hanc, clamat: proh Superi! ecquid id eſt?
Eheu! deficio, diſrumpor viſcera, conjux.
Quid? pario ovum! Ovum? Sic habet; ipſa vide.
Ecce recens, tepidum eſt. Cuiquam dixiſſe caveto;
Sin: me gallinam turba proterva vocet.
Rem taceas precor. In multis reque hoſpes in illâ
Uxor, jam credit certius eſſe nihil.
Per ſummos, inquit, Divos, tibi fida, tacebo;
Aſt ubi nox fûgit, fûgit & iſta fides.
Surgit nupta toro, malè garrula, naris obeſæ;
Evolat è laribus: vix erat orta dies.
Et ſic vicinæ: nova res mox accidit, audi.
Hanc, ni vis humeros plectar, amica, tace.
Vir peperit meus ovum, ovis haud quattuor impar;
Hoc, te per Superos poſco, referre cave.

8. *Sic habet* pro *ſic ſe habet.*

—— Magnum narras, vix credibile: atqui
Sic habet. Accendis quare, &c. *Horat. l.* 1. *Sat.* 9.

11. *Hoſpes* pro *ignaro.* Si erit idem in conſuetudine civitatis, in moribus atque inſtitutis, in voluntate ſuorum civium hoſpes; *id eſt*, ignorans voluntates, &c. *Cic.* 1. *de Orat.* 218.

An rides, vicina inquit, quàm me malè noſti !
I ſecura, omnem pectore pone metum.
Conjugis ovipari conjux ſua tecta reviſit.
Prodere jam factum prurit amica loquax.
Prodigium quò vulget, adit decem & ampliùs ædes ;
Ovum non unum ſed tria parta canit.
Inſuper eventum mulier mox altera diſcit ;
Ovum quartum ovis addidit illa tribus.
Auribus & tacitè rem garrit ; cautio vana :
Jam notum arcanum cuilibet illud erat.
Exactam ante diem (creſcenti gratia famæ)
Vir ſupra centum fuderat ova ſinu.

---

24. *Prurit.* Prurire propriè eſt libidine ſcalpendi ardere, ſed tranſlatè eſt vehementer cupere.

Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.

Martial. lib. 3. Epigram, 67.

29. *Cautio.* Idem ac præcautio, ſeu providentia quædam quâ advertimus & vitamus aliquid, ne nobis accidat. Quoniam, ut bona naturâ appetimus, ſic à malis naturâ declinamus ; quæ declinatio, ſi cum ratione fiat, cautio appellatur, eaque intelligitur in ſolo eſſe ſapiente. *Cic. Tuſcul.* 13. Omninò omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio eſt atque una proviſio, ut ne nimis citò diligere incipiamus, neve non dignos. *Idem, de Amicitiâ.*

31. *Gratia famæ.*

Gratia Dîs domuique tuæ. *Ovid.* 1. *Faſt. v.* 701.

——— Gratia magna Jovi. *Tibul. l.* 1. *Eleg.* 4.

32. *Supra centum.*

Supra ter cyathos. *Hor. l.* 3. *Od.* 14. *v.* 14.

Id eſt, pluſquam tres cyathos, ultra tres cyathos.

FABULA VII.

Canis qui Domini prandium collo gerit.

Non tuti nobis oculi, ut vidêre puellas;
Nec tutæ, nummos ut tetigêre, manus.
Theſaurum certus curâ ſervare fideli,
Vix è permultis millibus unus erit.
In torquis morem, docili circumdata collo,
Geſtabat domini prandia ritè canis.
Ante oculos aderant ſi quandò fercula lauta,
Sobrius ille magis, quàm libuiſſet, erat.
Sobrius ille tamen; nos at propiora videmus
Quandò bona, huc avidos cæca libido rapit.
Obſtupeas! expers rationis bellua diſcit,
At non diſcit homo ponere frena gulæ.
Dùm ſic inſtructus properat canis, ecce moloſſus
Tranſit, & aggreditur diripuiſſe dapem.
Quæ ſperat prædo, non integra gaudia cepit,
Deponit prædam bajulus ecce ſuam.
Cautior egregiè ſentit ſe poſſe tueri
Hanc meliùs, poſtquàm faſce levatus erit.

5. *In torquis morem.*

Mitis ut in morem ſtagni, placidæque paludis
Sterneret æquòr aquis. *Virg.* 8. *Æneid.* 88.

11. *Bellua* eſt vocabulum, quo omnes beſtiæ poſſunt nominari. Inter belluam & hominem hoc maximè intereſt. *Cic. l.* 1. *Offic. cap.* 4.

15. *Gaudia cepit.*

Adveniens equidem modò gaudia cepit.
Ovid. Metam. l. 7. *v.* 519.

Rivales inter geminos pugna aſpera ſurgit.
Convolat ad pugnam mox nova turba canum.
Hi ſati erant canibus, quibus eſt mos vivere rapto,
Vix quibus & poſſunt verbera ferre metum.
Tùm qui certabat defendere prandia, ſentit
Tam multis unum ſe minùs eſſe parem.
Et cernens poſitam magnò in diſcrimine carnem,
Haud ſtolidus, partem curat habere ſuam.
Deſinite irarum, precor, eſt mea, dixit, amici,
Sat mihi pars; reliquâ vos hilarate dape.
Primus & arripuit fruſtum, ſubitòque moloſſus
In carnem, atque canum plebs macilenta ruit.
Hinc atque indè trahunt certatim: largiùs omnes
Prandent: ſic epuli pars ſua cuique fuit.
Hæc ego, ni fallor, ſat fida eſt urbis imago,
Publica quæ cupidis credidit æra viris;
Prædantur cuncti, ædiles, prætorque viciſſim,
Exemploque præit qui magis arte valet.
Aſpexiſſe juvat, nummorum ut certet acervum
Verrere pernici callida turba manu.

---

24. *Parem.* Parem eſſe, ſignificat ſufficere alicui rei, ſivè reſiſtendo, ſivè exequendo. Eum interpellat fletus; cui repugno, quoad poſſum, ſed adhuc pares non ſumus. *Cic. ad Atticum, lib.* 12. Aſpicio par laboribus corpus. *Quintil. Declam.* 5.

26. *Curat habere.*

Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas. *Hor. l.* 2. *Od.* 13.

Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querelâ.

Idem. Art. Poët. v. 97.

38. *Verrere* pro *tollere.*

Deripiunt, verruntque dapes.
Valer. Flaccus de Harpiis, l. 4. *de Argonaut.*

Si paulum muſſet quiſquam, defendere nummos
Cui ſuadet pavidus relligionis amor;
Eſſe hunc evincunt infirmæ mentis, ineptum;
Cedit non ægrè: mox prior ipſe rapit.

Digitized by Google

FABULA VIII.

Scurra & Piſciculi.

RISOREM vulgò ſectantur ; ego arceo. Multâ
Riſorem, ante omnes, arte valere decet.
Ut fatuis placeant, finxit natura dicaces
Illepidis cupidos cuique placere jocis.
Fors unum inducam, fors & quis dixerit illum
Deſcribi haud lævè verſibus hiſce meis.
Dùm menſæ accumbit quæſtoris ſcùrra, catino
Non niſi piſciculos in propiore videt.
Piſces magni adeò ſemotâ in lance jacebant,
Ut nullum noſter tangere poſſet homo.
Sumit piſciculos, tacitè compellat in aurem,
Fingit & hos paribus reddere verba ſonis.
Convivæ ſtupuêre omnes, & pectore verſant
Suſpenſo ancipites, quid ſibi ſcurra velit.
Ore gravi dixit : jam vertitur annus, ad Indos
Eoos ex quo fecit amicus iter.
Sollicitus vereor ne, fractâ aquilone carinâ,
Æquoreis fuerit traditus eſca feris.
Hujus ego ſortem quærebam à gente puſillâ,
Reſponſum unanimi voce dedêre mihi :
Noſſe viri fatum noſtra haud ætatula donat,
Grandibus at forſan notius iſtud erit.
Ergò mihi liceat rogitare è grandibus unum.
Vix puto convivis hunc placuiſſe jocum.
Annoſi fruſtum monſtri tamen impetrat, ex quo
Scitari poterat nomina quæque virûm,

Qui varium ignotis quærunt dùm curſibus orbem,
Reddere ſe patrio non potuêre ſolo,
Quos & àbhinc annis centum, vidêre ſub undis
Quotquot grandævi regna profunda colunt.

FABULA IX.

Mus & Oſtrea.

Mus cerebro vacuus, mūs hoſpes ſolus agelli,
Haud poterat patrii tædia ferre laris.
Ergò deſeruit campum & cum farre manīplos
Atque cavum, in varias & juvat ire plagas.
Vix caſulâ egreſſus; quàm mundus panditur! inquit,
Hinc Apenninus, Caucaſus indè patet.
Aërii dorſum putat illic ſurgere montis,
Talpa cavam leviter quà tumefecit humum.
Poſt aliquot vênit luces ad littora, Tethys
Oſtrea ubi refugis multa reliquit aquis.
Concharum ſtupet aſpectu: totidemque viator
Immenſæ naves molis adeſſe putat.
Quàm mihi erat ſtolidus genitor! formidine ſummâ
Nuſquàm auſus patrium deſeruiſſe focum.

---

5. *Panditur.* Panditur immenſa planities, i. e. protenditur. *Liv.* 2. *Bell. Maced.*

9. *Luces* pro *dies.*

Per ſeptem luces junius actus erit.

Ovid. Faſt. l. 6. 774.

Perque novem luces expers undæque cibique.

Idem. Metam. l. 4 v. 262.

9. *Tethys* & *Thetys*, quamvis differant quoad quantitatem menſuræ, ſæpè quoad rem confunduntur, & ſumuntur pro ipſo mari apud poëtas. Tethys erat Cœli & Veſtæ filia, conjux Neptuni, & Nympharum mater, ut ait Salluſt. At Ovidius, *lib.* 5. *Faſt. v.* 82. videtur ſentire illam fuiſſe filiam Titani, qui fuit Saturni frater natu-major; ait enim:

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn.

Undè & Oceani uxorem illam fuiſſe conſtat, quæ quandòque pro mari ponitur.

Vidi ego regna maris ; ſolas interritus oras
    Trajeci ; hîc nullæ, quas biberemus, aquæ.
Talia dictârat muri mus verba magiſter,
    Quæ temerè in mediis jactat alumnus agris,
Muribus his longè diſpar, qui rodere chartas,
    Seque ſolent doctos reddere dente tenus.
Verùm alias inter, concluſo cortice ſeptas,
    Oſtrea fortè ſinus explicat una ſuos.
Solarem felix radium excipit, haurit amicum
    Aëra, quem zephyri temperat aura tepens.
Mollis, obeſa, nitens, niveoque venuſta colore,
    Haud dubia eximii ſigna ſaporis habet.
Sole frui ut longè vidit mus noſter hiantem,
    Ecquid conſpicio ? Pol ! cibus, inquit, adeſt.
Atque color mendax oculos niſi fallat, opimas
    Hæc aut nulla mihi porrigit hora dapes.
Tùm mus accedit ſpe dulci illectus, & infert
    Os paulùm teſtas inter utraſque ſuum.

---

15. *Solas*. Solus *pro* deſertus.
Heu ! malè tùm Lybiæ ſolis erratur in agris.
Virg. 3. *Georg*. 249.
In terras ſolas. *Plaut. Moſtell.* 4. 3. 3.
Quid potiùs faciam ſolis deſertus in oris.
Ovid. l. 5. *Eleg.* 7. *v.* 41.
20. *Reddere* pro *efficere*.
——— Multâque inſignem reddidit arte.
Virg. 5. *Æneid*. *v*. 704.
Modulatiorem, aptioremque orationem reddere. *Gell. cap*. 23. *lib*. 13.
32. *Paulùm*, adverb. diminut. à parùm.
——— Paulùm aſpectu conterritus hæſit.
Virg. 3 *Æneid*. 597.
Paulùm inter ſe differunt. *Cic. de Finibus*, 33.
——— Spatio decedere paulùm.
Lucret. lib. 2. 219.

Hæret ceu laqueo deprenſus colla tenaci,
Nam primo attactu concha repentè coït.
En quò perducit ſtolidas inſcitia mentes.
Fabula noſtra duo dat documenta tibi:
Uſu qui didicit nihil, hunc leviora ſtupere;
Qui capere & credit, ſæpè ſolere capi.

---

32. *Utraſque.* Uterque habet pluralem numerum.
——— Palmas utraſque tetendit.
Virg. 5. *Æneid.* v. 684.
——— Super utraque quaſſat
Tempora. *Idem. ibid.* v. 855.

FABULA X.

Urſus & Hortorum Amator.

Quem parcè lambens genitrix malè finxerat, urſus
Fors vacui ſaltûs incola ſolus erat.
Bellerophon novus hâc latitans dùm vixit eremo,
Per longos eſſet mens labefacta dies.
In tacitis degunt qui, nemine teſte, latebris,
Horum hoſpes ratio non ſolet eſſe diù.
Utile, crede, loqui, eſt ſatius quandòque ſilere.
Attamen immodicum ſi ſit utrumque, nocet.
Omnibus ignotas ſedes quas incolit urſus,
Aut ſpontè, aut caſu, bellua nulla petit.
Tandem, ſit quanquàm & naturâ & moribus urſus,
Olli adeò triſtis tædia vita parit.
Hic dùm ſollicito fovet atram pectore bilem,
Tædebat pariter non procul indè virum.
Pomonæ longævus erat Floræque ſacerdos,
Hortorum quem non ſegnis habebat amor.
Munia pulchra duo; ſed cauti & dulcis amici
Inſuper ore velim colloquiiſque frui.
Vix horti, niſi noſtra loqui det muſa, loquuntur;
Vivere cum mutis hunc piget ergò ſenem.
Denique vix pulſis Phœbo ſurgente tenebris,
Ingreditur (ſocium quò ſibi quærat) iter.

---

7. *Utile.*
Utile finitimis abſtinuiſſe locis.
Ovid. de Remed. amor. v. 626.

22. *Ingreditur iter.* Ingredi iter pedibus. *Cic. de Senect.* 34. *Colum.* 1. 3. *Quintil. l.* 3. *cap.* 1.

Urſus mente pari montana reliquerat antra.
Ambo viæ in flexum ſors inopina tulit.
Pallet homo : quid agat ? Stabitne retròne feretur ?
Uti vaſconiâ tutius arte putat.
Ergò fr onte metum celat. Sed neſcius urſus
More loqui urbano : tu meam adito domum.
Tùm vir : tecta vides, princeps clariſſime, noſtra ;
Ne mecum agreſtem carpere ſperne cibum.
Nec mihi pomorum nec lactis copia deſit :
Fors ea vos proceres non ſatis eſca decet.
Offero ſed quodcumque mihi eſt dapis : annuit urſus ;
Junctus amicitiâ vênit uterque domum.
Læti ambo vivunt ſimul ; etſi malle videmur
Vivere ſoli, adſit quàm ſine mente comes.
Cùm duo verba die toto non ederet urſus,
Longævus tacitum vir peragebat opus.
Curabatque comes venando excurrere, ſecum
Afferre & cæſas, pabula lauta, feras.
Aligerum imprimis paraſitum arcere ſtudebat,
Qui noſtro dictus carmine muſca fuit.
Fortè ſenex molli fuſus dùm ceſpite ſtertit,
Naribus extremis illicò muſca ſedet.
Amovet hanc urſus nequicquàm, actuſque furore,
Me non effugies ; mox capieris, ait.

---

24. *Ambo* pro *ambos.*

——— Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus & Themon Lyciâ comitantur ab altâ.
Virg. Æneid 10. *v.* 125.

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet.
Idem. Æneid. 11. *v.* 285.

Ibi Virgilius poſuit *duo* pro *duos*, & ultimam ſyllabam contraxit.

24. *Viæ flexus* eſt locus, in quo via incurvatur. In quo flexus eſt ad iter arpinas, obviam mihi fit tabellarius. *Cic.* 16. *Attic.* 13.

Tùm dicto citiùs muſcarum acerrimus hoſtis
 Correptum ſilicem fortiùs ille vibrat.
Dùm muſcam vindex lethali conterit ictu,
 Hoſpitis & pariter conterit ora ſui.
Tamque manu dexter quàm lævus mente, ſupino
 Protinùs exanimem corpore fundit humi.
Nil ſic infeſtum nobis ut ſtultus amicus;
 Mecum hoſtem potiùs qui ſapit, eſſe velim.

---

53. *Sic*, *ut*; pro *tàm*, *quàm*.
Tùm parochi faciem, nil ſic metuentis, ut acres
Potores, *Horat.* 2. *Sat.* 8. *v.* 36.

FABULA XI.

Amici duo.

NOBILE amicorum par Afris vixit in oris;
Quodcumque hic habuit, duxit & ille ſuum.
Famæ ſi qua fides, hujus regionis amici,
Haud illis cedunt, quos plaga noſtra tenet.
Quas hinc Phœbus abeſt, horas apponere lucro
Compulerat quemvis, nocte ſilente, ſopor.
Tùm trepidus lecto membra excutit alter amicus,
Alteriuſque, gradu præpete, tecta petit.
Expergit famulos, Morpheus perſuderat illic
Tacta ſoporiferâ limina quæque manu.
Attonitus ſurgit, qui tùm recubabat, amicus;
Aſſumit loculos, corripit arma, volat.
Currere contingit rarò tibi, care ſodalis,
Mortales reliquos dùm tenet alta quies.
Horis te meliùs rebar felicibus uti,
Quas ſomno addixit provida cura Dei.
Abſumpſitne tuos infelix alea nummos?
Ecce tibi nummis plena crumena patet.
Te-ne auſus quiſquam probroſis lædere verbis?
En meus enſis adeſt; jam tuus ultor ero.

---

5. *Quas* (horas) abeſt. Clam me profectus, tres menſes abeſt. *Terent. Heaut.* 1. 1. 66. Abſui magnam partem conſulatûs tui. *Cic. Fam.* 4. 23.

9. *Perfuderat.* Perfundere *pro* imbuere.

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro priùs & nigrâ perfundere amurcâ.

Virg. 1. *Georg.* *v.* 193.

Tam

Tam fido indignum quicumque protervus amico
Dedecus intulerit, me mora nulla tenet.
Non armis egeo, alter ait, nummis-ve: rependo
Grates, quòd te tam fervidus ardor agat.
In ſomnis tua viſa mihi ſubtriſtis imago
Injecit, ferres ne mala vera, metum.
Hæc ingrata meam turbârunt ſomnia mentem;
Hæc ſubiti adventûs unica cauſa mei.
Dic, age, lector, utri fuerit vis major amoris?
Ingenium haud nodus dedecet ille tuum.
O res ante alias dulciſſima! verus amicus:
Rimatur latebras pectoris ille tui.
Quorum egeas, oculis ſubitò introſpexit acutis,
Antè tibi fuerit quàm reſerare pudor.
Hunc ſomni viſum fallax, nihilum, omnia terrent;
Rem ſibi cari hominis ſicubi credat agi.

---

35. *Nihilum* pro re leviſſimâ, quæ non pluris æſtimanda, quàm ſi eſſet nihil. De nihilo iraſci. *Plaut. in Truculento. act.* 4. *ſcen.* 2.

Malus & nequam eſt homo, qui nihili, imperium heri
Sui ſervus facit: nihili autem eſt, ſuum
Qui officium facere immemor eſt, niſi adeò monitus.

Idem in Pſeudolo, 4. 7. 1.

36. *Rem agi.* Latini dicunt agitur res noſtra, pro de noſtrâ re agitur.

Id eſt, res noſtra in diſcrimen adducitur.

Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Horat. l. 1. *Epiſt* 18. *v.* 82.

Agitur libertas populi romani. *Cic.* 7. *Philip.* 27.

FABULA XII.

Sus, Capella & Ovis.

Emporium curru ſubvecta capella petebat,
Cui comites & ovis, ſus & obeſus, erant.
Dulce oblectamen non alliciebat euntes;
Venales, ut fert fama, trahebat equus.
Aurigæ nec erat mens ad ſpectacula ſcenæ
Ducere, quâ riſum mimica verba movent.
Grunnitus altos edit ſus inter eundum,
Jam lethum lanii ceu ſibi mille parent.
Penè obſurdeſcant tantis clamoribus aures;
Mirantur ſociæ, cur ita poſcat opem.

---

3. *Dulce.* Dulcis propriè uſurpatur de ſapore. Omne etenim animal ſenſus habet : ſentit igitur & calida & frigida, dulcia & amara. *Cic.* 3. *de Nat. Deor.* 32.

Dulcis tranſlatè dicitur pro jucundo, & amabili.

O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro,
Dulci digne mero. *Hor. l.* 3. *Od.* 13.

——— Negant alios æquè ſerpentibus agros
Dulcem ferre cibum. *Virg.* 2. *Georg. v.* 216.

3. *Oblectamen.*

Nec deſunt variæ circum oblectamina vitæ.
Stat. 3. *Silv.* 5. 95.

Carpſerat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret flores. *Ovid.* 9. *Metam.* 342.

8. *Lethum parent.*

Hoc aliis erat exitio, lethumque parabat.
Lucret. l. 6. *v.* 1227.

8. *Mille* pro maximo numero.

——— Adde cicutæ
Nodoſi tabulas centum, mille adde catenas.
Horat. l. 2. *Sat.* 3.

Nempè ambæ mites, bona gens, incallida, ſimplex,
Impendere ſibi nulla pericla vident.
Auriga ad porcum : quid tantùm, ruſtice, plangis?
Auris noſtra dolet murmure læſa tuo.
Te magis urbanæ comites, ſervare decorum,
Aut æquâ ſaltem mente ſilere docent.
Aſpice lanigeram : nùm verbum protulit ullum?
Pol! ſapit hæc. Imò deſipit, ille refert.
Si vitæ inſtantem caſum prænoſceret agna,
Balatum totis faucibus agna daret;
Atque meis ſimiles, comes hæc quam cernis honeſta
Toto continuos ederet ore ſonos.
Nil metuunt, ſolo credat quòd lacte levandam
Se capra, ſe ſolò vellere credat ovis.
Haud ſcio nùm merito verſent hos pectore ſenſus;
At ſoli aptus ego deſtinor eſca gulæ.
Actum eſt; ad lanium rapior : me certa manet mors :
O domus! ô tugurî tecta, valete, mei.
Setiger hæc animo fundebat dicta ſagaci,
Vera quidem; in fatum nil tamen illa valent.
Ingeme, vel trepida : nuſquàm mala certa fugabis;
Ut plus quiſque ſapit, prævidet ille minùs.

---

20. *Balatum daret pro balaret.*
Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros.
Ovid. 7. Metam. v. 540.
22. *Ederet ſonos.*
Ecce rudens rauco Sileni vector aſellus
Intempeſtivos edidit ore ſonos. *Ovid. 1. Faſt. v. 433.*
26. *Deſtinor.*
——— Et me deſtinat aræ.
Virg. 2. Æneid. v. 129.

FABULA XIII.

Leænæ exequiæ.

Interiit morbo conjux auguſta leonis:
  Tùm pecudum è ſilvis adfuit omne genus.
Quiſque ſtudet regi ſolantia dicere verba,
  Materies luctûs ſuppetit undè novi.
Miſſus præco monet quo pompæ triſtis honores
  Sint perſolvendi tempore, quove loco.
Juſſi legitimos ritus curare miniſtri,
  Ordine & aſtantûm quemque locare ſuo.
Ecquis abeſſe auſus? Rex planctibus indulgere;
  Antrum flebilibus perſonat omne modis.

3. *Solantia verba.*

——— Solantia tollite verba.

Ovid. l. 11. *Metam. v.* 685.

3. *Dicere verba.*

——— Dixitque noviſſima verba.

Virg. 4. *Æneid. v.* 650.

Ne faceret, monuêre, & conſolantia verba
Dixêre. *Ovid. l.* 15 *Metam. v.* 491.

10. *Omne antrum* pro *totum antrum.* Vulgò differt *omnis* à *toto*, quòd omnis ad numerum referatur, totus ad quantitatem. *V. g.* totum dicimus corpus aliquod integrum, ut tota domus; omnis de univerſis numero diſtinctis, ut omnis homo, *pro*, omnes homines; confunduntur tamen plerumque. Plebs omnis illa urbana, & perdita. *Cic.* 7. *Attic.* 3. Sanguinem omnem profundere cupit. *Idem, pro Cluentio*, 18.

——— Non omnis moriar.

Horat. l. 3. *Od.* 30. 6.

Quantùm in urbe omni fui. *Plaut. Epid.* 2. 2. 29.

Non aliud templum ullus habet leo : regis ad inſtar
Aulica nativis turba rugire ſonis.
Aula quid eſt ? Regio quâ riſum fingere vultu
Nôrunt, triſtitiam vel ſimulare, viri.
Exardent omnes ſimul ad quodcumque parati,
In quodcumque tamen frigida corda gerunt ;
Proteos in morem varias gens nata figuras
Induere, & domini ſimia vera ſui.
Sunt quodcumque velit rex, aut ſaltem arte videri,
Quod ſibi naturâ non datur eſſe, ſtudent.
Regis & ad nutum ſe dùm componere certant,
Unâ mente putes corpora mille regi.
Sunt velut effigies, penitùs quas mentis egenas
Artibus occultis vis aliena movet.
Rem repeto. Haud flevit cervus. Quî fleverit ? Olli
Dulcis vindictæ mors erat iſta loco,
Ipſius uxorem & natum regina necârat.
Quid multa ? Effluxit lachryma nulla genis.
Pravus adulator geſtit rem prodere : cervum
Ridentem vidi, cùm lacrymarer, ait.
Terribilis, Salomon inquit, rex, fervet ut ira,
Terribilis magis eſt rex leo, quandò furit.
Aſt erat hic cervus rudis ignaruſque legendi :
Cui princeps, nemorum vilior hoſpes, ait :
Tot rides inter gemitus ; ſacro ungue profanos
Artus dedignor tangere : adeſte, lupi.

---

15. *Exardent*. *Exardere* eſt valdè inflammatum eſſe, hoc verbum apud oratores, poëtas, hiſtoricos frequenter reperitur. Ineſt igitur animis præſagitio extrinſecùs injecta atque incluſa divinitùs ; ea ſi exarſit acriùs, furor appellatur. *Cicer.* 1. *de Divin.* 66. Certamina exarſêre. *Tac.* 2. *Hiſt.* 38. 2.

Exarſêre ignes animo. *Virg. Æneid.* l. 2. v. 575.

Placate auguſtos ſcelerato ſanguine manes:
    Læſus reginæ ſic reparetur honos.
Excepit cervus: plus æquo fletibus aula
    Indulſit; jam, rex magne, dolere nefas.
Vicino mihi viſa loco eſt, quam jure vocabas
    Delicias animæ dimidiumque tuæ.
Purpureos inter recubabat ſplendida flores:
    Protinùs agnovi conjugis ora tuæ.
Aſtra peto, dixit, cave, lamentabile vanos
    Eliciat fletus funus, amice, tibi.
Elyſias adii valles ego, ſanctaque, ſanctis
    Mixta animis, puro gaudia fonte bibo.
Ad tempus mœror ſine regem vincat acerbus;
    Hæc mihi triſtitiæ debita ſigna placent.
Res audita ſimul, conclamat turba ferina:
    Prodigium! nobis, ô nova Diva, fave.
Cervus pro pœnâ, quam juſſerat ira leonis,
    Magnificas laudes amplaque dona tulit.
Demulce regem, mendacia fingere ſolers,
    Quæ capiant animum, ſomnia blanda cane:
Quantumvis irâ cor ferveat, ille vorabit
    Hamum; ne dubita, regis amicus eris.

---

57. *Vorabit hamum.*

——— Meus hic eſt. Hamum vorat.

Plaut. in Circulione, act. 3. ſc. 1. v. 61.

Id eſt, tabellæ, quas legit, ſunt ei pro hamo. Hoc dictum eſt de homine, epiſtolam, quâ decipiendus erat, legente.

FABULA XIV.

Mus & Elephantus.

Mos eſt Francorum ſe pluris ducere: civis
Se clarum obſcurus jactitat eſſe virum.
Hoc morbo, reliquas inter, gens noſtra laborat;
Propria dos nobis faſtus ineptus ineſt.
Eſt ſuus hiſpano, ſed diſpar, faſtus; ineptus
Judice me, minùs eſt, ſtultior ille tamen.
Noſtratum vanæ, cui certè haud altera cedat,
Indolis exemplum jam mea muſa dabit.
Præſtantem inſolitâ cernebat moſe elephantum
Mus præter ſolitum corporis exigui.
Ridebat, tardis iret quòd paſſibus altæ
Bellua cervicis, ſarcinâ onuſta gravi.
Sublimi dorſo ſultana auguſta ſedebat,
Simia, felis, anus, pſittacus atque canis.
Et comites ſecum mulier quotcumque trahebat:
Quippè ibat peregrè ſolvere vota Deo.

1. *Ducere* pro *æſtimare.* Lælius eo dictus eſt ſapiens, non quòd intelligeret quid ſuaviſſimum eſſet, ſed quia id parvi duceret. *Cic. de Finib.* 24. Eam laudem hic ducit maximam, quàm illis placet. *Terent. Prolog. Adelph.* 18.

——— Magnum hoc ego duco,
Quòd placui tibi, qui turpi ſecernis honeſtum.
Horat. l. 1. Sat. 6. 62.

16. *Ibat ſolvere.* Tùm ad quemdam ægrum cùm iſſet viſere, noſque cum eo unà introiſſemus. *Aul. Gellius, l. 16. cap. 3.* Cneius Flavius dicitur ad collegam veniſſe viſere ægrotum. *Idem, ex annalibus Lucii Piſonis, l. 6. N. Att. cap. 9.*

Nunc hunc, ad Veneris fanum, venio viſere.
Plaut. Rud. 1. 2. 6.

——— Noſtra illicò
It viſere, at eam admiſit nemo. *Terent. Hec. 1. 2. 114.*

Turba frequens vaſtum quòd tardâ mole coloſſum
Attonita aſpiciat, mus, ego miror, ait:
Eſt minor an major virtus & gloria nobis,
Noſtrûm ut quiſque implet plusve minusve loci?
Hæc fera, mortales, quid habet mirabile? Magnum
An corpus, pueris naſcitur undè pavor?
Exiguis licet, haud nobis præponderat uno
Vel momento elephas. Dicere plura parat.
Ecce ſuâ felis caveâ erumpens, elephantis
Mures hunc ſubitò dedocet eſſe pares.

---

24. *Momento.* Momentum uſurpatur ſæpè non ſolùm pro qualicumque ſpatio temporis, ſed etiam pro qualicumque pondere, ſive magno, ſive parvo, à *moveo* eſt deductum. Sin autem in rebus judicandis non minimam partem ad unamquamque rem exiſtimandam, momentoque ſuo ponderandam, ſapientia judicis tenet. *Cic. Font.* 11. Omnia ex alterâ parte collocata vix minimi momenti inſtar obtinent. *Idem.* 3. *Offic.* 11.

25. *Ecce* eſt adverb. demonſtrandi, quod aliquid repentinum, inſperatumve ſignificat.

Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus. *Virg.* 2. *Æneid.* v. 403.
——— Venit ecce recenti
Cæde leæna boum, ſpumantes oblita rictus.
Ovid. l. 4. *Metam.* v. 96.

FABULA XV.

Horoſcopus.

Qua fatum credis meliùs te poſſe cavere
Hàc ſæpè ad fatum ſe tibi pandit iter.
Unum ſuſcepit quidam de conjuge natum,
Quem fovit nimio cæcus amore parens.
Conſulit ergò viros, quibus ars prænoſcere ſortem,
Atque rogat ſobolis fata futura ſuæ.
Quattuor hunc puerum per luſtra leonibus arce,
At non ulteriùs, vaticinator ait.
Certiùs à letho ut prolem tueatur amatam,
Extra ſepta domûs hanc vetat ire pater.
Totâ luce, datum eſt intùs ſaltare, jocari,
Ludere, cum ſociis ire, redire, ſuis.
Filius ut primùm juveniles attigit annos,
Venandi ſtudium pectora quandò rapit,
Ingratis puero hanc pinxêre coloribus artem,
Digna parùm ingenuo ceu foret illa viro.

3. *Suſcepit.* Suſcipere idem quandòque ſignificat, ac procreare.
Saltem, ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles. *Virg. l.* 4. *Æneid. v.* 327.
Suſceperas enim liberos non ſolùm tibi, ſed etiam patriæ. *Cic.* 5. *Verrin.* 161.

7. *Arce.* Arcere *pro* amovere.
——— Trojanos arceat urbe. *Virg. l.* 12. *Æneid. v.* 826.

13. *Ut primum.*
Ut primùm lux alma data eſt.
Virg. l. 1. *Æneid. v.* 306.
Ut primùm alatis tetigit magalia plantis.
Idem. l. 4. *Æneid. v.* 259.

15. *Ingratis.* Ingratus, pro injucundo, non grato, non accepto, Non ingratæ amaritudinis. *Plin. l.* 15. *cap.* 25.

Verùm, quidquid agas, inſtes, hortêre, mineris,
    Ingenita evelli mente cupido nequit.
Impavidus juvenis, venatica natus ad arma,
    Ardeſcens animis, irrequietus erat.
Vix primos æſtus ſenſit fervere juventæ,
    Jam præceps votis omnibus arva petit.
Quantò major obex, urget tantò acriùs ardor;
    Compertum, clauſus cur teneatur, habet.
Patria magnifico luxu cùm tecta niterent,
    Omnibus extaret multa tabella locis;
Venatum & campos, cùm paſſim aulæa referrent,
    Indè feras eſſet cernere & indè viros,
Exhibuit juveni depictum tela leonem;
    Captivo bilem talis imago movet.
O tetrum, exclamat, monſtrum! langueſcere in umbrâ
    Tu cogis miſerum, carcere meque tenes.
Dixerat & violens mentem impetus abripit iræ,
    Verberat inſontem concita dextra feram.
At clavum muro defixum aulæa tegebant;
    Sauciat, heu! teneram cuſpis acuta manum.

Non habet ingratos fabula noſtra jocos.
Ovid. l. 3. Faſt. v. 738.

Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora.
Hor. l. 1. Epiſt. 1. v. 23.

27. *Referrent. Referre* pro *repræſentare.*
——— Si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret.
Virg. Æneid. 4. v. 329.

Fit quoque ut interdùm ſimiles exiſtere avorum
Poſſint, & referant proavorum ſæpè figuras.
Lucret. lib. 4. v. 1211.

Intima pervadit mentis penetralia vulnus,
  Et grave Pæoniâ plus valet arte malum.
Sic quæ tendebat carum ſubducere letho
  Cura caput, properæ cauſa fit ipſa necis.
Ob ſimilem periit curam, aiunt, Æſchylus; augur
  Dixerat huic: perimet te ruitura domus.
Urbe vir excedit, devitat tecta, grabatum
  In mediis, nudo ſub jove, ponit agris.
Dùm teſtudineam Jovis armiger ales in auras
  Ungue domum tollit, non procul indè volat.
Ut vidit calvi ſenioris tempora nuda,
  Rupis adeſſe apicem regia credit avis.
Nubibus in frontem prædam dimittit ab altis,
  Celatas retegat quò ſibi fracta dapes.
Sic fruſtrà cautus dùm mortem arcere laborat,
  Æſchylus infelix occidit ante diem.
Ergò hæc ars, modò ſit verax, ubi conſulis illam;
  Quæ tibi permetuis, te mala in ipſa trahit.
Quanquàm fatidicos ego talì crimine ſolvo,
  Et mihi cenſentur non niſi falſa loqui.

---

44. *Nudo ſub jove*, i. e. *ſub aperto aëre.* Jupiter apud poëtas ſæpè ſumitur pro aëre.

——— Manet ſub jove frigido
Venator. *Hor. l.* 1. *Od.* 1. 25.

——— Nudoque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit. *Virg.* 2. *Æneid. v.* 512.

52. *Ante diem.*

Sed cadat ante diem, *i. e.* ante tempus pereat.
Virg. 4. *Æneid. v.* 620.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Ovid. l. 1. *Metam. v.* 148.

Non ſe hâc lege, reor, neque nos natura ligavit,
Ut noſtram ſortem denotet illa polo.
Sors ea ab aſtrorum coïtu non pendet, at ipſo
Concurſu ex hominis, temporis, atque loci.
Paſtorem & regem ſub eodem ſidere natos
Novimus. Hic ſceptrum geſtat, & ille pedum.
Juppiter hoc voluit; ſed quidnam eſt juppiter iſte?
Craſſior eſt moles, & ſine mente globus.
Ergò vim ſimilem cur non exercet in ambos
Mortales, eadem quos ſimul hora parit?
Quî tacita hæc virtus noſtrum pertingit ad orbem?
Aëris immenſam permeat undè viam?
Quo martem ſolemque modo pervadit, & illas
Se quibus innumerum fundit inane plagas?
Fors atomum offendet, quæ detorquebit euntem:
Fatidici hanc poterunt quo reperire loco?

---

57. *Ligavit.*
—— Spiriſque ligant ingentibus.
Virg. Æneid. 217;
—— Recti legibus ille ligaſti.
Stat. 4. *Silv.* 3. 75.

59. *Pendet.*
—— Caſu pendemus ab uno.
Lucan. lib. 5. *v.* 769.

70. *Innumerum.*
Cinctus ab innumero me tenet hoſte locus.
Ovid. 5. *Triſt.* 12. 20;

70. *Inane.* Inane *pro* ſpatio vacuo.
—— Magnum per inane coacta
Semina. *Virg.* 6. *Eglog. v.* 31.
—— Abeant per inane profundum.
Lucret. lib. 1. *v.* 1101;

Europæ turbas præſentes atque tumultus
Horum dignus erat præcinuiſſe labor.
Cur ſiluère omnes? Lègit rem nullus in aſtris.
Nullus noſtra poteſt ordine facta ſequi.
Inſtabiles obſtant animi, intervalla locorum,
Et punctum, præceps quod velut aura, fugit.
Hinc ſors noſtra fluit; dùm currit, ſemper eodem,
Noſtrûm conſimilis, non amat ire gradu.
Attamen humanæ ſeriem deſcribere vitæ
Æquali radio, gens maleſana velit!
Ambiguis ſapiens nullus moveatur oportet
Factis, mox verſu quæ memorata meo.
Nil probat & ſoboles nimiùm dilecta parenti;
Atque vir accerſens quæ ſibi fata timet.
Hæc ars uſque aliàs mendax incertaque, metam
Cùm ſemel aſſequitur, caſus id unus agit.

---

74. *Præcinuiſſe.* Præcino, i. e. antè cano, prædico.
Carmine cùm magico præcinuiſſet anus.
Tibul. lib. 1. 5. 12.

80. *Noſtrûm conſimilis.*
Cujus mos maximè eſt conſimilis veſtrûm.
Terent. Heaut. 2. 4. 13.

88. *Unus* pro *ſolus.*
Illum curo unum, ille ad me attinet.
Terent. Adelph. 3. 3. 82.
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Hor. l. 1. *Epiſt.* 9. *v.* 9.
Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi.
Ovid. l. 1. *Faſt.* 119.

FABULA XVI.

Aſinus & Canis.

MUTUAM opem nobis (ſanxit natura) feramus :
Hanc aſinus legem eſt auſus habere joco.
(Miror ſacrum adeo jus quî violaverit ; inſunt
Quandoquidem Arcadicæ non mala corda feræ.)
Ore gravis, nil mente agitans, comitante moloſſo,
Ibat, & à tergo ruſticus ibat herus.
Huic ſopor obrepit : tunc paſcere cœpit aſellus ;
In prato cœnam dulcior herba dabat.
Nil deſit lætis epulis, ſi carduus adſit,
Nec tamen hanc aſinus queſtus abeſſe dapem.
Hæc, quamvis deſit, rarò convivia ſordent,
Uſque ita difficilis non decet eſſe gulæ.
At canis atra fames miſerè cui viſcera torquet:
Deprime te paulùm, care ſodalis, ait,
È panariolo mihi debita prandia ſumam.
Se ſurdam ſimulans, bellua rufa ſilet.
Pertimuit lucro, ne fruſtulum omitteret unum,
Otia ſi dederit dentibus ulla ſuis.

---

15. *Panariolo.* Panariolum eſt vaſculum vimineum, in quo ſervatur panis.

Cum panariolis tribus rediſti.

Martial. lib. 5. Epigram. 49.

Nota panariolum eſſe diminutivum panarii, quod eſt panis receptaculum.

17. *Omitteret.*

Quod petiit ſpernit; repetit quod nuper omiſit.

Horat. lib. 1. Epiſt. 1.

Reſpondit tandem: expecta pauliſper, amice,
  Dùm tuus à ſomno ſe revocabit herus.
Quam cupidè poſcis, ſolitam tibi porriget eſcam;
  Certè experrectus poſt breve tempus erit.
At lupus intereà nemoroſo erumpit ab antro,
  Urit cui pariter viſcera dira fames.
A cane ſuppetias tùm ſupplex orat aſellus.
  Cui canis immotus: Conſule, amice, tibi.
Dùm tuus evigilet dominus, te proripe curſu,
  Certè experrectus poſt breve tempus erit.
Inſtet ſi propior lupus, & tibi fauce minetur,
  Inviſum impactâ contere calce caput.
Ungula cùm ferro tibi ſit munita recente,
  Totum ſterne ferum, ſi mihi credis, humi.
Dùm canis egregio placidus ſermone perorat,
  Frendente Arcadicum corripit ore lupus;
Et miſeri jugulo fert immedicabile vulnus:
  Indè aliis alii ferre docemur opem.

FABULA XVII.

Prætor & Mercator.

Vir græcus merces quâdam mutabat in orâ;
Illi præſidium non leve prætor erat.
Aſſiduè græcus patrono dona ferebat
Grandia, prætorem qualia dona decent,
At mercatoris modicæ haud accommoda gazæ;
Stare ſolet tanti grande patrocinium!
Ægrâ mente cliens, lucri quodcumque paravit,
Patroni in cupidas ingemit ire manus.
Tres alii turcæ fortunâ & honore minores,
Tutelam unanimes propoſuêre ſuam.
Quanquàm eſſent terni, non munera tanta petebant;
Pendere quanta uni cogitur ille viro.
Spontè aſſentiri græcus, fœduſque paciſci.
Garrula prætori rem citò fama refert.
Hunc etiam quidam veterator ſubmonet, illos,
Si ſapit, occultâ prævius arte petat.
Continuò ternos in ſedes mittat amœnas,
Divum ubi Mahometum gaudia tanta beant.
Sin: hunc prævertent, certi jam proxima promptos;
Vindictam ad domini, per loca ſtare viros.

19. *Promptos ad.* Promptus ſæpè ſignificat idem ac paratus ad agendum. Quod promptiores ad ſubeundam omnem dimicationem videbatur facturum, id metum pigritiamque incuſſit. *Tit. Liv.* 31. 34. *pr.* Ad pugnam promptus. *Cic. pro Milone*, 55. —— Promptos ad bella quirites. *Ovid.* 3. *Faſt.* v. 277.

Lethali extinctus ſucco, tutarier ibit
  Quos mercatores triſtis Avernus habet.
Sic turca admonitus, quod, eodem urgente periclo
  Magnus Alexander fecerat, ipſe facit.
Ergò animi fidens, quo tempore cœna paratur,
  Mercatorem adiit, diſcubuitque toro.
Tam benè componit vocem, vultumque ſerenat,
  Ut penitùs credant nil ſubolere viro.
Rem ſic audivi: me deſeris, inquit, amice,
  Quandò inſtare mihi ſumma pericla ferunt.
Vir bonus es, credo, haud artem didiciſſe videris
  Toxica miſcendi: nón ego plura loquar.
At de tutelâ, tibi quam gens ſpondet iniqua,
  Jam docili ſenſus accipe mente meos.
Ne tibi ſim verbis argumentiſque moleſtus,
  Hæc fabella ſatis, quâ monearis, erit.
Theſſalicis pecudum cuſtos degebat in oris,
  Servabat tutas cui canis unus oves.
Scitatur quidam: quid te juvat iſte moloſſus,
  Qui pane integro, quo ſaturetur, eget?
Quamprimùm pagi domino donetur oportet,
  Majora ingluvie ne tibi damna ferat.

---

21. *Tutarier.* Poëtæ infinitivo verbi deponentis quandòque addunt ſyllabam *er*, metri causâ.

Videntur labier. *Lucret. l. 4.*

——— Domos mercarier unus
Cum lucro noram. *Hor. l. 2. Sat. 3.*

28. *Subolere viro.*

Numquid ſubolet patri. *Terent. 3. 1. 10.*

Propemodùm quid illic feſtinet, ſentio, & ſubolet mihi.
Plaut. Trinummus, 3. 1. 14.

40. *Integrò.*

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo. *Virg. Eglog. 4. v. 7.*

41. *Quamprimùm.*

Inviſam quærens quamprimùm abrumpere lucem.
Virg. 4. Æneid. v. 631.

Te circum latrent duo vel tres mole minores,
Qui meliùs poterunt invigilare gregi.
Inſuper his ſumptu victum leviore parabis;
Nam nimis iſte vorax, plus tribus unus edit.
At non aiebant ejuſdem triplice fauce
Terreri, audaces bella ciere, lupos.
Sedibus ergò ſuis ipſum malè credulus arcet
Paſtor, treſque canes, queis breve corpus, emit.
His minor eſca ſat eſt, ſed iners ad prælia pectus;
Eheu! ſenſerunt, gens malè tuta, greges.
Tu quoque qui nobis gentem præferre minutam
Non metuis, ſimiles experiêre vices.
Ad nos actutùm, ſi mens tibi ſana, revertes.
His monitis prudens græcus habere fidem.
Ne vos tetrarchis tutandos credite multis;
O populi, exemplo ſat mea muſa docet.
Præſidio eſt ſatius magni confidere regis,
Si mala librentur, ſi bona lance pari.

---

48. *Audaces.*

Audax omnia perpeti. *Hor. l.* 1. *Od.* 3. *v.* 25.

55. *Revertes.*

——— Seràque revertens
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis.
Virg. Georg. l. 4. *v.* 132.

Conſcendens jam navim, Epheſo Laodiceam revertit. *Cicer. l.* 3. *Famil.* 10.

FABULA XVIII.

Utilitas Scientiæ.

INCOLUISSE urbem gemini memorantur eamdem
Cives, quos inter rixa coorta gravis.
Hic erat ignarus, ſed nummis dives & agris:
Rivalis contrà doctus, at æris egens.
Se ſtultè indoctus faſtu jactabat inani,
Doctrinæque ſuas anteferebat opes.
Jactabat ſeſe à quovis ſapiente colendum;
Dixiſſet meliùs, quolibet à ſtolido.
Cur veneremur enim vacuum virtutibus aurum,
Viſa mihi ſemper non niſi cauſa levis.
Irridens doctum, ſic compellare ſolebat:
Te magni credis ponderis eſſe virum;
Eia age, dic: cunctiſne patet tua menſa? Peritis
Volvere quid prodeſt nocte dieque libros?
Nempè infelicis viles Heliconis alumnos,
Quæ tecto eſt ſedes proxima, ſemper habet.
His eadem veſtis per brumam, eademque per æſtum;
Nec famuli ſtipant, ſola ſed umbra comes.
Scilicet hos cives reſpublica curat habere,
In vulgum ſumptûs effluit undè nihil!

12. *Ponderis.* Sed tuæ litteræ maximi ſunt apud me ponderis. *Cic. l. 2. Epiſt.* 19. Quid quiſque noſtrûm de ſe ipſe loquatur non eſt ſanè requirendum; boni viri judicent: id, eſt maximi momenti & ponderis. *Idem. in Vatin.* 9.

16. *Sedes* vulgò pro habitaculo & domicilio ſumitur.
Exiguam ſedem pariturae terra negavit.
Ovid. Metam. 6. v. 187.

19. *Scilicet.* Idem eſt ac certè, profectò, elegantiſſimè ponitur per deriſum & ironiam, pro tanquàm, quaſi verò, cùm

Vir bonus hic patriæ, terris hic utilis unus,
Qui luxu immenſas undique ſpargit opes.
O Deus! exundat quàm noſtra pecunia latè!
Quiſque operi, ut pariat gaudia noſtra, vacat.
Venditor, atque opifex, quicumque & ſuppara texit,
Quæque induta illis femina compta nitet.
Vos quoque, divitibus nobis qui ſcripta dicatis
Vilia, queis largi præmia magna damus.
Vocibus inſulſis vano pleniſque tumore
Sors hanc mercedem, quam meruêre, dedit.
Abſtinuit doctus tot ſtulta refellere verba,
Materies eſſet quòd ſibi multa nimis.
Vis belli meliùs de divite vindicat illum
Quam ſatyra; incendit Mars utriuſque lares.
Urbe migrant; quoſcumque locos ignarus adivit;
Ridetur cunctis, hoſpitioque caret.
Alter ubique bonis meritoque augetur honore:
Diſpare ſic fato lis reſoluta fuit.
Nequicquàm obgannire ſinas ſecurus ineptos;
Eſt ſua doctrinæ laus pretiumque ſuum.

Intelligitur contrarium ejus, quod affirmatur. Id populus curat ſcilicet, hoc eſt, per ſenſum contrarium, nimirùm id populus non magnoperè curat. *Terent.* 1. 2. 14.

Scilicet is Superis labor eſt. *Virg.* 4. *Æneid.* v. 379.

20. *In vulgum.*

——— Spargere voces
In vulgum ambiguas. *Virg.* 2. *Æneid.* v. 99.

25. *Supparum* erat genus veſtimenti femoralis, uſque ad talos pendens, ita dictum quod ſubtùs appareat.

Supparum aut ſubminiam, ricam, &c.
Plaut. Epidic. 2. *act. ſc.* 2. v. 48.

FABULA XIX.

Jupiter & Tonitrua.

JUPPITER aſpectans ſcelera exundare per orbem,
Nubibus è ſummis has dedit ore minas:
Jam mihi ſtat terras aliis implere colonis,
Quas habitat ſoboles iſta moleſta mihi.
Maïâ nate, Erebi ſedem delabere ad imam,
Quæ furia ante alias ſævior, hancce voca.
Ha ! nimiùm patrio quam ſum complexus amore,
Impia gens, jam nunc es perimenda; ratum eſt.
Sed mox placato deponit corde furorem,
Et facilis revocat juſſa ſevera Deus.
O vos, ô reges, noſtræ quos ille ſalutis
Arbitros fecit, pectoris eſte boni.
Iræ inter motus, & quam parit ira, procellam,
Noctis, quàm longa eſt, unius eſto mora.
Paruit imperio, ſtygias adiitque ſorores,
Cui blandus ſermo, cui levis ala, Deus.
Spretâ Tiſiphone atque Megærâ, deligit atram
Alecto, hæc flecti neſcia corda gerit.

---

3. *Stat pro certum eſt, decretum eſt, in animo fixum eſt.*
Stat caſus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, *Virg.* 2. *Æneid.* v. 750.
Stat conferre manum Æneæ.
Idem. 12. *Æneid.* v. 678.

Nota, quòd verbo *ſtat* additur ſæpè *mihi* vel *nobis*. Sed hæc tu meliùs, modo ſtet nobis illud, unà vivere in ſtudiis noſtris. *Cic.* 9. *Epiſt. Famil.* 2.

14. *Eſto.*
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. *Juvenal.* 8. *Sat.* v. 79.

Hinc magis illa ferox : per Ditem hæc tota propago,
Mox, ait, infernis ſubjicienda Deis.
Jurantis furiæ damnavit Juppiter iram,
Tartareaſque domos hanc remeare jubet.
Igne tamen ſubito perrumpens nubila, quandam
Perjuram in gentem tela triſulca jacit.
Horrendum tonitru, quod dextra paterna regebat,
Sat, minitando, habuit corda replêſſe metu.
Exarſit flammis tantùm vacua hoſpite ſilva;
Ictum detorquet, cùm ferit, ira patris.
Quid tùm ? Quòd dederit veniam indulgentia cœli,
Noſtrum impunè genus fertur in omne nefas.
Totus conqueritur, pœnaſque repoſcit Olympus;
Nubila qui denſat, jam Styga teſtor; ait:
Mox nova nimboſo fabricabor in æthere tela,
Quæ nullum fugient ejaculata caput.
Subrident: pater es, dixêre; tibi Deus alter
Altera tela paret; certior ictus erit.
Aggreditur Vulcanus opus, gravibuſque laborans
Materiem geminam decoquit ille focis.
Hinc fulmen duplex; torquet quod turba Deorum,
Alterum, ab intento neſcit abeſſe ſcopo.

Quid tùm ? pro quid indè factum eſt ?

Quid tùm ? ea mortua eſt.

Terent. Heaut. act. 3. ſc. 3. v. 44.

Manè domum veniunt; quid tùm ? venêre frequentes.

Horat. l. 2. Sat. 3.

34. *Nullum fugient.*

—— Nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

Horat. lib. 1. Od. 28.

Alterum at incœpto de tramite ſemper aberrat,
  Unis damnoſum montibus eſſe ſolet.
Quin ſæpè innocuum tenues vaneſcit in auras;
  Ipſum ad nos mittit dextera ſola Jovis.

FABULA XX.

Falco & Capo.

Perfida ſæpè ſonis te vox invitat amicis;
Tu cave ferre citum, quò vocat illa, pedem.
Quem riſêre canem ſolitum fugitare vocantes,
Crede mihi, ſtolidæ non ita mentis erat.
Cenomano cuidam caponum ex ordine civi
A domino fertur dicta fuiſſe dies,
Ociùs ut dirum ſe ſiſteret ante tribunal
Quod ſacrum eſt laribus, nomen habetque foci.
O pulle, ô pulle, huic clamant, velut eſca paretur;
Aſtu normannos ſed ſuperabat avis.
Vanus, ait, clamor, fraus eſt malè tecta: valete,
Cur ita non ludar, pol, mihi cauſa gravis.
Tranſverſo intereà ligno cùm falco ſederet,
Cenomanum pavidam cernit inire fugam.
Seu natura intùs doceat, ſeu longior uſus,
Capo ſolet nobis nullus habere fidem.
Iſte quidem, famuli quem vix prendêre, ſuperbis
Eſt ab hero menſis juſſus adeſſe ſuo
Poſtridiè, & nitido membra oſtentare catino;
Magnus, quo volucris læta careret, honos.
Talibus aggreditur trepidum venaticus ales:
Attonitum reddit me tuus ille ſtupor.
Vos fæx alituûm, genus & rude, mentis & expers;
Nil vobis unquàm diſcere poſſe datur.
Aſt ego venari teneris ſum doctus ab annis:
Ad noſtrum redeo nec revocatus herum.
Dùm loquor, advertis caput hunc proferre feneſtrâ?
Quin & te ſolito lætior ecce vocat.

Quæ tibi cauſa moræ ? Subitòne obſurduit auris ?
Audit plus nimio, cauta reponit avis.
At me ſic vocitans quid vult herus, atque minaci
Armatus cultro nobilis iſte coquus ?
Illicio an tali redeas ad limen herile ?
Feſtinare fugam me ſine, parce joco.
Si, quot ego video capos, tot veſpere ſemper
Falcones videas, triſte ſubire veru,
Non ita me culpes, vertam quòd terga retrorsùm
Indocilis, dùm me vox malè blanda vocat.



FABULA XXI.

Felis & Mus.

Casei amans felis, muſtelaque tergore longo;
Mus & funivorus, buboque triſtis avis,
Silveſtrem pini truncum putremque colebant,
Cuncti fraude malâ nequitiâque pares.
Tam crebri ad pinum rediêre, ut ruſticus illam
Ambierit poſitis, nocte favente, plagis.
Egreditur prædæ ſuccenſa cupidine felis,
Vix aurora parat cùm renovare diem.
Ultima nocturnæ vetat hanc caliginis umbra
Cernere in exitium fila parata ſuum;
Incidit in laqueos; fallaci cannabe capta,
Vicinæ ſentit dira pericla necis.
Inclamat felis: mus protinùs advolat; exſpes
Altera dùm frendet, lætior alter ovat.
Deprenſum in pedicis lethalem conſpicit hoſtem.
Tùm felis ſupplex poſcere muris opem:
O mihi devinctos inter numerande ſodales,
Sunt mihi amicitiæ pignora multa tuæ.

1. *Felis* eſt utriuſque generis; ita ſentiunt Robertus-Stephanus, Vanierus, Calepinus.

2. *Funivorus*. Quamvis hæc vox apud nullum extet latinum authorem, hujus tamen uſurpandæ licentiam dat Horatius in arte poëticâ, cùm ait. *V.* 46.

Dixeris egregiè, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum.

Id eſt, eâ voce egregiè uti poteris, quam junctura ingenioſa reddet veluti novam, licet veteribus & notis conſtet vocabulis: ſic *nubigena*, *velivolus*, & alia hujuſmodi nomina ſunt inventa & facta è duabus aptè junctis vocibus.

Da, precor, auxilium ut nodoſas rumpere poſſim,
Me quibus implicuit mens malè cauta, plagas.
Jure tuis ſemper te fovi è fratribus unum
Herclè, plus oculis ô mihi care meis!
Nec faviſſe tibi me pœnitet, atque rependo
Dîs grates, in te quòd mihi tantus amor.
His ſolitas offerre preces & vota parabam,
Qualia manè pius fundere felis amat.
Me nimis arcta tenent captivum hæc vincla: ſalutem
Dî noſtram in manibus depoſuêre tuis.
Dentibus arrodens nodos diſſolve tenaces.
Mus contrà: officii præmia quanta dabis?
Tecum, inquit felis, jugi me fœdere jungo:
Poſthac, juro, meus te penes unguis erit.
Pectore mitte metum, ſecuro & pectore vivas;
Me contra quemvis vindice, tutus eris.
Noctua dente meo & pariter muſtela peribit;
Ambas tu noſti non benè velle tibi.
Tùm mus: iſta cane ignoto, ſtolidiſſima; vitam
Me ſervare tibi? Non ita ſtultus ego.
Sic ait: ad notam remeavit deindè latebram,
Muſtelamque cavo non procul eſſe videt.
Altiùs aſcendit: truculentam conſpicit illic
Noctis avem; ex omni parte pericla premunt.

---

28. *In manibus.*
In manibus veſtris, quantus ſit Cæſar, habetis.
Lucan. l. 7. v. 243.
Hoc eſt, in veſtrâ poteſtate, totum Cæſarem, quantus eſt, habetis, ſcilicet ejus fortunam, virtutem, liberalitatem, & fidem.

42. *Noctis avem.* Noctis avis, pro noctuâ, ſeu bubone.
Et ponar poſt noctis avem.
Ovid. 2. Metam. v. 564.

Urget quod graviùs, vitat prudentia muris.
Captivam properat rursùs adire feram.
Unum poſt alium ſecat omnes ordine nexus;
Compedibus liber ſic veterator abit.
Ruſticus adventat, poſuit qui rete doloſum;
Extemplò ſocius carpit uterque fugam.
Poſt paulò felis murem procul ecce tuetur,
Qui cautè excubias ſuſpicioſus agit.
Huc ades, ô frater, dixit, meaque excipe lætus
Oſcula: tam pavidus me quid, amice, fugis?
Hæc tua cauta nimis me diffidentia lædit.
Tu ſocium, tanquàm ſit tuus hoſtis, habes.
Uni poſt Superos vitam tibi debeo. Mene
Immemorem tanti muneris eſſe putas?
Et tu, mus retulit latebræ ſtans proximus, an me
Immemorem cenſes indolis eſſe tuæ?
Eſſe animi felem grati, quæ fœdera cogant?
An pacto, extorſit quod metus, ulla fides?

---

55. *Vitam debeo.*
Vivit adhuc, vitamque tibi debere fatetur,
Quam prius à miti Cæſare munus habet.
Ovid. l. 4. ex Ponto. Epiſt. 6. v. 31.
Cæſaribus vitam, Sexto debere ſalutem
Me ſciat. *Ibid. Epiſt. 15. v. 3.*

FABULA XXII.

Torrens & Fluvius.

Ingenti torrens ſtrepitu vaſtoque fragore,
 È ſummo tumidis monte ruebat aquis.
Quà ſe devolvit, ſimul ingruere horror, & omnes
 Hujus ad aſpectum præcipitare fugam.
Undique rura metu trepidant. Per clauſtra viator
 Tam valida haud ullus rumpere tentat iter.
Aſt unus ſubitò latronum conſpicit agmen,
 Senſit & in minimâ ſumma pericla morâ.
Atque interponit prudens, ſeque inter & illos,
 Formidatum obicem raucâ ſonantis aquæ.
Comperit eſſe minas tantùm, vanumque fragorem;
 Quippe brevi reſonans volvitur unda vado.
Vir fuit, exceptâ formidine, cætera ſalvus;
 Securoque novus redditur indè vigor.
Sed cùm latronum turbâ urgeretur eâdem,
 Venit homo, medium quà ſecat amnis iter.
Hic aqua lenè fluens, placidique ſoporis imago,
 Spondebat facilem per vada tuta viam.
Non ripâ hinc atque hinc præruptâ clauditur amnis,
 Atque expers limi lævis arena nitet.
Flumen equo ſubiit vectore, hinc tutus ab armis
 Latronum, à nigrâ non ita tùtus aquâ.
Nec vir nec ſonipes ſeſe expediêre natando;
 Horrendæ hic undam potat & ille Stygis.

13. *Cætera.*
 Excepto, quòd non ſimul eſſes, cætera lætus.
 Horat. l. 1. Epiſt. 10. v. 30.

In regnis, quæ luce carent, tranſmiſit uterque
  Longè alia à noſtris flumina fluminibus.
Qui minitans tonat, haud nobis plerumque timendus;
  Qui tacet arridens, ſæpè nocere parat.

FABULA XXIII.

Educatio.

GERMANI fratres, Cæſarque & Larido, nacti
Diverſæ dominos conditionis erant.
Orti ambo canibus generoſo ſanguine claris,
Queis audax animus, forma decora fuit.
Alter conſuêrat nemora, alter adire culinam;
Primùm aliud fuerat nomen utrique datum.
Sed per diſcrimen cultûs, quæ crevit in illo,
Patria in hoc animi vis malè fracta perit.
A famulo, cui cura ſcyphos ollaſque lavare,
Poſterior dictus Larido deindè fuit.
Strenuus at frater, ſeu cervum urgeret anhelus,
Sive ferum in ſilvis ſterneret acer aprum:
Mille adiit caſus, primuſque è gente caninâ
Nomine donatus Cæſaris ille fuit.
Haud ipſi permiſit herus ſe turpi hymenæo
Jungere, ne ſoboles degener indè foret.
Larido neglectus moriſque oblitus aviti,
Sponſam, offert caſus quam ſibi cumque, petit.
Undè canum ſobolem numeroſam vidit oriri
Gallia, condoctam vertere pingue veru.
Sejunctum à reliquis iſtud genus, indole ſtirpi
Cæſareæ diſpar, cuncta pericla fugit.

---

7. *Cultus* pro *educatione*.

Rectique cultus pectora roborant.

Horat. lib. 4. Od. 4.

Nos rarò patribus ſimiles; incuria, tempus,
 Nil non degeneres turpiter eſſe facit.
Quiſquis erat Cæſar, foveas niſi dona colendo
 Optima naturæ, Larido ſemper erit.

---

24. *Eſſe facit.*

Ignaros culpæ quos facis eſſe tuæ.

Ovid. 20. *Heroid. v.* 200.

—— Qui nati coram me cernere lethum
Feciſti. *Virg. Æneid.* 2. *v.* 538.

Ex quibus exemplis liquet verbum *facere* poſſe jungi cum infinitivo.

Sed facit eſſe ſui quiddam ſuper inſcius ipſe.

Lucret. l. 3. *v.* 892.

FABULA XXIV.

Duo Canes & Aſinus mortuus.

VIRTUTES utinàm ſocientur more ſororum,
Fratrum more ſimul ceu vitia eſſe ſolent.
È vitiis unum invadit ſi pectora, cernas
Ordine continuò cætera ſponte ſequi.
Hæc dico tantùm, quæ cùm non indole pugnent
Diſpare, communi ſede manere queunt.
Virtutes ſummas, manibus per mutua nexis,
Omnes raro uni cernis ineſſe viro.
Conſilio ille valet, gelidè ſed cuncta miniſtrat;
Fortis hic, at præceps impatienſque moræ.
Quadrupedes inter, curâ obſequioque fideli,
Se domino carum jactitat eſſe canis.
Aſt idem eſt ſtolidus, turpi nec temperat alvo
Res hoc eventu fit manifeſta ſatis.
Quemdam aſinum exanimem gemini vidêre moloſſi,
Quem procul arcebat fluctus, agente noto.
Sic alter ſocium ſubitò compellat: amice,
Cui pluſquàm nobis lumina acuta vigent,
Hoc, fixis oculis, æquor ſpeculare profundum,
Hic aliquid nantis credo videre cibi;
Ecquid tu cenſes? Equus eſt, vel fortè juvencus?
Quale animal ſit, ego nil moror, alter ait.
Quidquid id eſt, certè ſors nobis objicit eſcam:
Poſſe frui prædâ ſumma caputque rei eſt.

19. *Æquor*, propriè æqualitatem & planitiem ſignificat. Hinc per ſynecdochen ſignificat modò campum, modò fluvium, modò mare, quia æquata ſunt & plana. Quid tam planum, quàm mare? Ex quo æquor illud poëtæ vocant. *Cic.* 2. *Acad.*

Quippe iter hinc longum; & fluctus ſuperare natando,
Et ſimul adverſis eſt opus ire notis.
Epotemus aquam, totum vacuabimus æquor;
Tam fervens urit guttura noſtra ſitis.
In nudâ ſiccum remanebit corpus arenâ;
Et dabit in ſeptem, prandia larga, dies.
Tùm potare canes: hinc deficit halitus ambos,
Dein vita: heu miſerè ruptus uterque jacet.
Ingenium ſic eſt hominis: ſi fortè quid ardet,
Nil credit vires exſuperare ſuas.
Vah! quot ſe votis, curâque abſumit inani,
Sive avidus laudem, ſive ſequatur opes!
Urbibus adjectis, ô ſi mea regna rotundem!
Si mea congeſtas arca recondat opes!
Hebræam mihi ſi contingat diſcere linguam,
Artes ingenuas, hiſtoriamque ſimul!
Talia quiſquis avet, totum bibere appetit æquor:
Explendæ at menti nil ſatis eſſe poteſt.
Corporibus quatuor mens debeat una præeſſe,
Ducere ad eventum quò ſua vota queat.
Imò deficiant hæc corpora fracta labore
In medio, nedùm perficiatur opus.
Excipiant ſe Mathuſalæ ſi quattuor, omnes
Complere haud poſſint quod petit unus homo.

---

27 *Epotemus.* Epotare eſt potando exhaurire.
Quæque tyron toties epotavêre lacernæ.
Martial l. 2. *Epigr.* 29.
Verbum hoc rariùs occurrit extra partic. contract. ſucco epoto. *Plin. l.* 28. *cap.* 14 Epoto medicamento, ſuâmet ipſi fraude petierunt. *Liv.* 8. 18.

37. *Rotundem.* Rotundare *pro* complere & perficere.
Mille talenta rotundentur, totidem altera porrò
Tertia ſuccedant, & quæ pars quadret acervum.
Horat. l. 1. *Epiſt.* 6. *v.* 34.

FABULA XXV.

Democritus & Abderitani.

Quam vulgi averſor mentem, quàmque illa videtur
Injuſta, imprudens, atque profana mihi!
Rem ſeque inter, amat vitrum interponere fallax,
Metiri & ſenſis ſenſa aliena ſuis.
Hoc didicit quondam tuus ille, Epicure, magiſter,
Quem ſua gens ſanâ mente carere putat.
O gens, bœotûm quam jures aëre natam!
Sed quid? Apud cives nemo propheta ſuos.
Soli invertebat populo dementia mentem;
Democritus ſani pectoris unus erat.
Error eò vênit; tota ut, ſuadente ſenatu,
Abdera acciri juſſerit Hippocratem.

---

1. *Quàm* pro *quantùm.*

Quàm timeo, quorsùm evadat! *Terent. Andr.* 1. 1. 100.

4. *Metiri*, propriè eſt menſurare, tranſlatè eſt judicare, æſtimare. Epicurei res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiuntur. *Cic. in Piſon.* 63. Omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri. *Idem*, *de Nat. Deor.* 113.

7. *Bœotûm.*

Bœotûm in craſſo jurares aëre natum.

Horat. l. 2. Epiſt. 1. v. 244.

Id eſt, diceres illum, (ſcilicet Alexandrum de verſibus judicantem) tam ſtupidum, quàm ſunt bœoti, quibus aer patriæ craſſior ingenium pingue facit.

10. *Pectus.* Interdùm ſignificat animum, quem in ipſo corde reſidere putârunt antiquorum nonnulli. Sapit hic toto pectore; gallicè, *il eſt fort aviſé. Plaut. Epidic.* 2. 2. 101.

Ille parùm cauti pectoris egit opus.

Propert. lib. 3. 5. 8.

Quem legati adeunt, ſcriptiſque & voce precantes
Ægrotum medicâ ſanet ut arte caput.
Democritum ratio, flentes dixêre, reliquit;
Commoti eſt cerebri quòd ſine more legat.
Si foret ignarus, cives hunc pluris haberent.
Mundos haud numerus terminat ullus, ait.
Tot quoque Democriti forſan verſantur in illis,
Fornice in immenſo quot rotat aſtra polus.
Somniat hæc, fingitque atomos fugientia viſum
Corpora, quæ cerebro ſunt malè nata cavo.
Æthera metitur, nec terras deſerit. Orbis
Huic notus, notus nec tamen ipſe ſibi.
Utilis antè ſuis, lites ſedare ſtudebat;
Lucifugus ſecum nunc amat ipſe loqui.
Proxime vir Superis, te noſtram transfer in urbem;
Stultitia extremum crevit ad uſque gradum.
Talibus at dictis quanquàm vix credulus eſſet
Hippocrates, cœpit nil minùs ire viam.
Mecum adverte, precor, noſtræ quos tempore vitæ
Fortuna eventus ludicra ſæpè ferat.
Advenit Hippocrates, quandò recubabat in umbrâ
Vir, qui mentis inops mox ſibi dictus erat.

---

15. *Reliquit.*
Sed ſimulachra ſolere in ſomnis fallere mentem,
Cernere cùm videamur eum, quem vita reliquit.
Lucret. lib. 5. *v.* 64.
——— Poſtquàm pavor oſſa reliquit.
Virg. 3. *Æneid. v.* 57.
Animus hanc modò hic reliquerat. *Plaut. Mil.* 4. 8. 37.
I. e. defecerat *ſive* conciderat animo.
Vires (me) reliquêre. *Idem. Menæcch.* 5. 2. 6.
29. *Credulus.*
——— Me quoque dicunt
Vatem paſtores; ſed non ego credulus illis.
Virg. 9. *Eglog. v.* 33.

Inveſtigabat, placidi ſub margine rivi,
 An ſedes mentis cor foret anne caput.
Sudabat rimans oculis animoque ſagaci,
 Anfractus cerebri dædaleoſque ſinus.
Hunc circumſtabant permulta volumina: amicum,
 De more intentus, vix propè adeſſe videt.
Pauca ſalutando dixêre, ut credere fas eſt.
 Perdere vir ſapiens tempora, verba, cavet.
Miſſis, queis paſcunt ſe frivola pectora, nugis,
 De mente humanâ dicere plura juvat.
Hinc & delapſi ad vitæ præcepta regendæ.
 Non opus eſt, quidquid dixit uterque, canam.
Ex his veraci retuli quæ carmine, plebis
 Judicium minimi ponderis eſſe liquet.
Quenam ergò ſenſu verum, quod fortè legebam:
 Nuper: vox populi, vox manifeſta Dei eſt.

FABULA XXVI.

Lupus & Venator.

Dira ſitis nummorum & inexſaturabilis ardor;
Qui nihili pendis munera quæque Deûm,
Ten' fruſtra ſcriptis jocularibus uſque laceſſam?
Dic, ſodes, monitus quandò ſequere meos?
An mihi ſemper homo, & ſapientibus obſtruet aurem?
Congeſtis nummis, nonnè erit illa dies
Dicere ut incipiat: Sat plena eſt arca, fruamur?
Jam propera; haud longùm vivere, amice, potes.
Voce indefeſſus te ſemper adhortor eâdem,
Grandi quæ libro proderit una magis.
Quin frueris? fruar. Aſt, oro, quo tempore? cras. Ha!
Te rapere intereà mors inopina poteſt.
Jam fruere: aut diram venatoriſque lupique
Sortem, quam memorat fabula noſtra, time.
Lethifero damam venator ſtraverat arcu;
Tranſire hinnuleum non procul indè videt.

---

2. *Pendis. Pendo* ſignificat propriè *pondero.* Oritur à *pendeo* quòd quæ ponderantur, ex librâ pendent. Sed per tranſlationem ſumitur pro *conſidero*, ſive *æſtimo*: undè fit *magnipendo*, *parvipendo*, *nihilipendo*, id eſt, *in magnâ*, *parvâ*, *nullâ æſtimatione habeo.*

Aut ego iſtud abs te factum nihili penderem.
Terent. 1. 2. 14.

4. *Sodes.* Vox rogantis quidpiam vel exhortantis, facta ex *ſi* & *audes*, & ſignificat quæſo, rogo, obſecro. Multis placet hanc eſſe adverbium, aliis verò eſſe verbum defectivum, ut, cedo, ſalve, hæc enim in uſu deficiunt perſonis.

——— Dubius ſum quid faciam, inquit,
Tene relinquam an rem. Me, ſodes.
Horat. l. 1. *Sat.* 9. *v.* 40.

Tace, ſodes, *i. e.* obſecro.
Terent. Heaut. 3. 3. 20.

Protinùs ille comes defunčto adjungitur. Ambo
Fuſi gramineo ceſpite ritè jacent.
Præda erat amplà ſatis, dama hinc, atque hinnulus indè;
Haud quidquam ulteriùs mens moderata petat.
Aſt aper immani portentum mole ſuperbum,
Sollicitat, talis cui ſapit eſca, virum.
Et novus hinc Erebo quæſtus; vix forcipe Parca
Admordere valet ſtamina dura feræ.
Monſtro horam properans fatalem filia noctis,
Tartareâ repetit terque quaterque manu.
Fortiùs impacto tandem fera concidit ictu.
Tollere tot prædas debuit eſſe ſatis.
Sed quid? Bellatoris, ubi ſors cœpta ſecundat,
Expleri nimiùm vaſta cupido nequit.
Perdicem arcitenens cernit veſtigia ferre
Per ſulcum, vires dùm renovantur apro.
Adjiciat captis ales quid tantula prædis?
Attamen hic nervos & ſua tela parat.
Relliquias vitæ revocat ſus, tendit in hoſtem,
Dente truci lacerans viſcera fundit humi.
Emoriturque virum ſuper, ultus funere funus.
Protinùs huic grates ſalva volucris agit.
Gens cupida hâc noſtri ſermonis parte docetur;
Altera pars mores radit, avare, tuos.
Qui tranſit, miſeranda lupus ſpectacula cernit:
O fortuna, inquit! ſpondeo templa tibi.

---

17. *Defuncto.* Defunctus abſolutè dicitur, qui mortem obierit, quaſi ærumnis ſæculi liberatum & exemptum ſignificemus. Ita cenſet Budæus. Honoſque is ad defunctos pertinere cœpit. *Plinius, lib.* 13. *cap.* 1. Excitare defunctos. *Quintil. l.* 4. *c.* 1.

40. *Mores radere.*

——— Pallentes radere mores. *Perſ. Sat. v.* 15.

Id eſt, mores ſceleratorum, qui ob flagitia pallent, acriter carpere.

Corpora ſtrata ſimul quatuor! vah! quot bona! at illis,
Parcere (rara Deûm munera tanta) decet.
Sic ſeſe expurgat gens auro dedita. Totum
Per menſem hinc paſcar, bellua turpis ait.
Si numerare ſcio, una, duæ, tres, quattuor, eſcam
Prædæ ſufficient quattuor hebdomadis.
Poſt geminas luces guſtabo hæc fercula: at hujus
Chorda arcûs nunc det pabula prima mihi.
Confecta eſt nervo, certè non fallor, equino.
Indicat hoc, nares qui mihi mulcet, odor.
Hæc fatus, ruit in chordam; tùm ſolvitur arcus,
Transfigitque meum dira ſagitta lupum.
Hinc nova ad infernas dimittitur umbra paludes.
Tandem ad propoſitum te, mea muſa, refer.
Quiſque frui debet. Partis quòd noluit uti,
Sorte pari pœnas helluo uterque dedit.
Illum avidus miſerè demerſit ſpiritus orco,
Hunc & avarities ſuſtulit ante diem.

---

45. *Expurgat.* Expurgare ſe, idem ſignificat, quod ſe ex culpâ eximere.

Tun' te expurges mihi? *Plaut. Milt.* 2. 6. 17.

I. e. te excuſes mihi?

Sine me expurgem. *Terent. Andr.* 5. 3. 29.

I. *e.* permitte, ut ab hâc culpâ me expurgem.

47. *Numerare ſcio.*

—— Cupreſſum
Scis ſimulare. *Horat. Art. Poët.* 20.
Reddere qui voces jam ſcit puer. *Ibid.* 158.
—— Si ſciret regibus uti;
Faſtidiret olus qui me notat. *Idem. l.* 1. *Epiſt.* 17.

54. *Meum lupum.*

Homo meus ſe in pulpito totum proſternit.
Phædr. l. 5. *Fab.* 7.

59. *Avidus ſpiritus.*

Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, &c. *Hor. l.* 2. *Od.* 2. *v.* 9.

Finis Libri octavi.

SELECTÆ
FONTANII
FABULÆ.

LIBER NONUS.

FABULA PRIMA.

Inſidus depoſiti Cuſtos.

GRATIA Pieriis, ſpecies quaſcumque ferarum
Feſtivis cecinit noſtra camœna modis.
Fors ſi majorum tentaſſem dicere facta
Heroum, levior gloria noſtra foret.
Verſibus in noſtris uti ſermone Deorum
Novit, colloquitur cum cane quandò lupus.

Digitized by Google

Certatim hìc varias partes fera quæque tuetur.
Stultos hæc, ſanos exhibet illa viros.
At ſanos numero vincunt rationis egeni :
Horum eſt in toto denſior orbe cohors.
Inſuper in ſcenam jubeo prodire ſceleſtos,
Divûm irriſores, artificeſque doli,
Progeniem ingratam, notos feritate tyrannos,
Turpe indoctorum, fronte procace, pecus.
Agmen adulantûm, fatuorum ignobile vulgus ;
Poſſim mendaces his ſociare globos.

---

7. *Partes pro perſonâ.*
Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat. *Horat. Art. Poët. v.* 193.
——— Aſpice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi.
Idem. L. 2. *Epiſt.* 1. *v.* 171.
Blandior & partes penè rogantis ago.
Ovid. 6. *Faſt. v.* 70.
En etiam partes conciliantis ago.
Idem. Remed. 524.

Tueri perſonam principis magnum eſt in republicâ. *Cic.* 9. *Philip.* 28.

9. *Sanos.* Sanus propriè ad corpus pertinet & idem eſt, ac benevalens, morbo incolumis, ſed eleganter ad mentem transfertur.
Quid mihi quæram? ſanus ſim : anne inſaniam?
Terent. Eunuch. 3. 5. 8.

Sanus homo. *Cic.* 2. *de Divin.* 94.
——— Demens
Judicio vulgi, ſanus fortaſsè tuo, quòd.
Horat. l. 1. *Sat.* 6. *v.* 98.

9. *Rationis egeni.*
Palanteſque animos paſſim ac rationis egentes
Deſpectare procul. *Ovid. Metam.* 15. *v.* 150.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes. *Martial.*

16. *Mendaces globos.* Globus ponitur quandòque pro multitudine hominum in unum collectâ & quaſi conglobatâ. Extrema

Omnis homo mendax, quondàm rex maximus inquit,
Præ reliquis titulum qui ſapientis habet.
Hæc animi labes paulùm toleranda putetur,
Si ſolam plebem pagina ſacra notet.
At mentiri omnes, ſive imos, ſive ſupremos:
Hoc ſi dictum alio conſtet ab ore, negem.
Quin aut Æſopi mentirive inſtar Homeri
Qui noſſet, mendax non foret ille mihi.
Ingenioſa ſagax dùm ſomnia fingit uterque,
Mendaci occultans tegmine vera docet.
Dignum opus amborum eſt, ætas quod quæque perenni
Ævo, vel ſi fas, ulteriore legat.
Talia quàm multi mendacia fingere vellent!
Ars ea ſed paucis ingeniumque datur.
At ſi depoſiti cuſtodem imitere doloſum,
Quem ſua fraus luſit, nequam & ineptus eris.
Factum audi. Perſam in vicini ſedibus aiunt
Centenas ferri depoſuiſſe libras.
In variaſque plagas, quò mercatura vocabat,
Securum prorsùs corripuiſſe viam.

---

concio, & circa Fabium globus, increpabant inclementem dictatorem. *Liv.* 8. *c.* 32. Globus conjurationis, *id eſt*, manus conjuratorum. *Velleius Paterculus.* 2. 58. Globus armatorum. *Lib.* 4. Et globus Juvenum. *Lib.* 1.

Hoſtileſque globos tumulo proſternis amici.
Claudianus, lib. 1. *in.* 1. *Conſt. Stil. v.* 105.

Id eſt, hoſtium catervas, &c.

18. *Titulum;* titulus aliquandò nomen ſignificat.
——— Titulo conjugis uxor obeſt.
Ovid. Heroïd. 6. *v.* 100.

41. *Triſte*, pro *res eſt triſtis.*
Triſte lupus ſtabulis. *Virg. Eglog.* 3. *v.* 80.

Eodem ſenſu dixit Horatius, *l.* 1. *Od.* 84.
Durum, ſed levius fit patientiâ
Quidquid corrigere eſt nefas.

Ferrum, quæſo, meum, patriæ dein redditus, inquit.
Quod ferrum? Ferri nil habet hæcce domus.
Mus edit totum, doleo: hæc jactura coegit
Me durè famulos increpitare meos.
Triſte: ſed ecquid agas? Sine rimis horrea nulla:
Rem ſtupet & ſimulat credere Perſa viro.
Hic mox inſidi furtim ſubducere natum
Vicini: ad cœnam deindè vocare patrem.
Flens renuit genitor: mihi des veniam optimus, oro;
Omnes deliciæ deperiêre mihi.
Natum plus ipsâ dilectum luce fovebam,
Ille mihi eſt unus: fallor ego, ille fuit.
Hunc aliquis furtim rapuit, mea fata doleto.
Mercator placidâ talia mente refert:
Bubonem vidi, heſterno qui veſpere natum
Tranſtulit in veteris tecta caduca domûs.
Cui das verba? pater reſpondit mœſtus; an ullum
Bubonem hanc prædam tollere poſſe putem?
Imò puer cepiſſet avem, ſi poſceret uſus.
Quî fuerit raptus me latet, alter ait.
Sed vidi his oculis, res eſt certiſſima: vidi.
Factum teſtor ego, tu dubitare potes?
Unus ſi centum ferri, in regionibus iſtis,
Mus libras avido dente vorare valet:
Quid, decies quinas æquantem pondere libras
Quòd poſſit puerum tollere bubo, ſtupes?
Alter figmenti ſenſum videt, atque redonat
Ferrum: progeniem reddit & ille patri.

---

63. *Videt.* Videre *pro* intelligere, cognoſcere.
Quid poſſim videt, ac novit me valdiùs ipſo.
Horat. l. 1. Epiſt. 9. v. 6.
Interdùm vulgus rectum videt; eſt, ubi peccat.
Idem. l. 2. Epiſt. 1. v. 55.

Haud diſpar geminos inceſſit rixa ſodales
Quos in idem caſus conſociàvit iter.
De gente alter erat, nimiùm quæ garrula; cuncta
Per vitrum, quo fit major imago, videt.
Cui quodvis ſolet eſſe gigas. Huic credite; monſtris
Sic Europa ferax, Africa ut eſſe ſolet.
Hic ratus augeri nutu res poſſe loquentis,
Gaudebat ſocio mira referre ſuo.
Par domui caulis, dixit, mihi viſus in agro;
Et mihi par templo cacabus, alter ait.
Dùm prior illudit, quid rides? ſubjicit alter;
Eſt factus, caules ut coquat ille tuos.
Certè mercator ferri non arte carebat,
Cacabi & inventor non erat illepidus.
Si ſuperent abſurda fidem, haud ratione refellas,
Errori nimius ne referatur honos.
Accendiſſe tuam bilem nil proderit: aude
Rem magis abſurdam fingere, victor eris.

---

65. *Inceſſit.* Inceſſit *pro* invaſit. Verbum inceſſere jungitur dativo caſui vel accuſativo. Ipſum ingens cupido inceſſerat tarenti poſiundi. *Liv.* 24. 13. Primò terror, pavorque, deinde mœſtitia animos inceſſit. *Idem.* 29. 3.

——— Sæpè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu. *Virg.* 4. *Geor. v.* 67.

67. *De gente.*

Nil intereſt, an pauper & infimâ
De gente, ſub dio moreris. *Horat. l.* 2. *Od.* 3.

FABULA II.

Duo Columbi.

Par geminos ſtudium ſociârat amorque columbos ;
  Unum in natali ſede manere piget.
Longinquas ſtatuit demens inviſere terras ,
  Sic tentat ſocius quem retinere domi :
O quid agis ? fratremne tuum vis linquere ? ſummum
  Eſt dulci à gremio patriæ abeſſe, malum.
Non tibi crudelis ! quanquàm hunc animum tibi mutent,
  Curæ , ſudores, atque pericla viæ.
Saltem , cœpiſſet ſi jam miteſcere frigus !
  Dùm zephyros nobis reddat hirundo, mane.
Cur adeò properas ? Lævo mox omine corvus
  Neſcio cui fatum triſte canebat avi.
Hei mihi ! falcones , pedicæ , eventuſque ſiniſtri
  Mentem exercebunt nocte dieque meam.
Cœlum, eheu ! pluvium eſt, gemebundo pectore dicam ;
  Suppetit an fratri quod ſua vota petunt ?

---

7. *Animum mutent.*

Haud ſcio, herclè, ut homo eſt, an mutet animum.
Terent. Phorm. 5. 2. 9.

Id eſt, an mutet ſuum conſilium.

10. *Mane* pro *expecta.*

At apud nos hîc mane, dùm huc redeat ipſa.
Terent. Eunuch. 3. 3. 28.

Pauliſper mane, *i. e.* aliquantiſper expecta. *Adelph.* 2. 2. 45.

16. *Suppetit* in tertiâ perſonâ ſignificat : *in promptu eſt*, *adeſt*, *ſufficit.*

Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit uſus.
Horat. l. 1. *Epiſt.* 12. *v.* 4.

Id eſt, qui habet ea, quibus uti poſſit.

Lucrum ut perenne ſemper vobis ſuppetat.
Plaut. Amphitr. Prolog. 14.

Hoſpitiumne bonum eſt nactus, cœnamque torumque,
  Subſidia & quævis, undè levetur iter?
Imprudens tali motus ſermone viator,
  Jam propè conſilium vult revocare ſuum.
Vicit ad extremum maleſana cupido videndi,
  Et curis ſemper mens agitata novis.
Deſine flere, precor, poſt tres non ampliùs, inquit,
  Luces, votorum mens mea compos erit.
Deindè redux varios memorans ex ordine caſus,
  Diſcutiam fratri tædia longa meo.
Qui nil penè videt, caſulæ dùm vivit in umbrâ,
  Idem penè nihil, quod memoretur, habet.
Fida mei curſûs te mirè hilarabit imago.
  Lætus ego dicam: contigit hocce mihi;
Hunc adii caſum, hæc felix miracula vidi.
  Cernere te credes, te peragrare locos.
Dùm loquitur, flenti jungit flens oſcula frater;
  Inque vicem tenerum dicit uterque vale.
Aggrediturque viator iter; nimbo ecce coorto,
  Veſtigat, detur quò latitare, locum.
Unica ſeſe arbos offert, raræ ſed tegmine frondis,
  Non prohibet volucrem quin fera vexet hiems.

---

29. *Imago* eſt vulgò repræſentatio alicujus rei. Ut effectos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus. *Cicer. pro Sexto Roſcio Americ.* 47.

38. *Hiems* interdùm accipitur pro tempeſtate, procellâ ſive ventorum impetu.

Improba pugnat hiems, indignaturque quod auſim
  Scribere, ſe rigidas incutiente minas.
Ovid. l. 1. Eleg. 11.

—— Sæpe illos aſpera ponti
Intercluſit hiems. *Virg. 1. Æneid. v. 126.*

Id eſt, vis venti, tempeſtas.

Nubila diffugiunt ; torpeſcens corpore toto ,
Inſtitit aërium carpere rursùs iter.
Quâque poteſt meliùs, ſolis face ſiccat amicâ
Pennatam , gelido quæ gravis imbre , togam.
Far procul in campo ſparſum , juxtaque columbum
Proſpiciens, ardet ſubripuiſſe dapem.
Huc ruit ingluvie cæcus, deprenditur, hæret ;
Celabat mendax perfida lina cibus.
Tritus erat laqueus : pede ſic luctatur & alâ ,
Et roſtro , ut tandem vincula rumpat avis.
Quanquàm aliquot plumas hîc pro mercede reliquit,
Aſt infelici ſors graviora parat.
Relliquias lini traheret cùm ponè ſequaces ,
Elapſi è ratibus remigis inſtar erat.
Hunc videt, ungue truci vultur , roſtroque cruento ,
Arripere, heu! miſeram jam meditatur avem :
È nube aëriâ cum paſſis irruit alis ,
Regnatrix avium, vulturiumque premit.
Dùm duo prædones roſtro luctantur & ungue ,
Ales noſtra pavens avolat hoſte procul.
Confugit in veterem caſulam , reſpirat : acerbis
Optatum hìc finem credit adeſſe malis.
At nequam puer (hæc ætas miſereſcere neſcit)
Stridentem fundam terque quaterque rotat.

---

68. *Adrepit*. Adrepere non ſemper ſignificat reipſâ repere , more ſerpentum , quod gallicè vocamus , *ramper*; ſed quandòque idem eſt ac ægrè , difficulter & lentè incedere , quod gallicè dicimus, *ſe traîner*. Ad matris morientis mammam adrepens infans. *Plin. l.* 35. *cap.* 10.

Millia tùm pranſi tria repimus.

Horat. l. 1. *Sat.* 5. *v.* 25.

Id eſt, tardè & difficulter iter facimus.

Infelix

Infelix ales ſævo penè occidit ictu,
  Execrans, liquit quâ ſua tecta, diem.
Semianimis, claudo pede, ſanguinolenta, vacillans,
  Alam, quæ pendet penè revulſa, trahit.
Fatorum hic finis volucri, quæ ſaucia tandem
  Ad notam adrepit fracta labore domum.
Hic fratres iterùm conjuncti vivere: curas
  O! quot deliciis penſat uterque ſuas.
Carpere iter, quater ô felix gens! vultis, amici?
  Finitimis unquàm ne procul ite locis.
Mutuo & obſequio, vobis ambo eſte viciſſim
  Uſque orbis varius, pulcher, & uſque novus.

Digitized by Google

FABULA III.

Simius & Leopardus.

Simius advênit quandam & leopardus in urbem;
Certabantque foro dulce parare lucrum.
Ambo per vicos chartam affixêre ſeorſim.
Alter ventosâ tàlia voce crepat :
Huc, cives, properate : mihi haud ignobile nomen;
Noſtra nec obſcuris dedita fama locis.
Cernere me regi placuit : quin poſt mea fata,
Vult amicire ſuas, quam gero pelle, manus.
Hanc tot diſtingunt maculæ poſitæ ordine miro,
Tot ritè exornant, tot variantque notæ.
Vidit quiſque : placent diverſo picta colore;
Exit quiſque foras, ut fera viſa ſemel.
Simius ex aliâ parte inclamabat : adeſte,
Mille modis novi ludere, adeſte viri.
Quas adeò jactat varias leopardus in uno
Corpore habet dotes, has ego mente gero.
Clari ego Bertramni conſanguineuſque generque,
Extincti Papæ ſimius ille fuit.
Mox veſtram adveni vobis addictus in urbem;
Nave huc regali me tulit aura favens.
Vos vos affari mihi mens, quicumque rogabit:
Aptis ſum præſto reddere verba ſonis.

12. *Exit foras.*
Indè foras tacitus exeo. *Plaut. Caſin.* 5. 2. 52.
Quidve foras ſibi vult membris exire ſenectis.
Lucret. l. 3. *v.* 773.

Saltare edidici, medios volitare per orbes,
Flexaque centenis membra rotare modis.
Exigimus geminos tantùm è ſpectantibus aſſes,
Imò ſat, cives, unicus aſſis erit.
Ludicra ſi nullum moveant ſpectacula riſum,
Nos æs reddemus cuilibet ante fores.
Simius hæc rectè : varium nil curo decorem,
Quem non ingenium, ſed tua veſtis habet.
Delicias mens uſque novas fecunda miniſtrat;
Diſplicet at ſubitò vix toga viſa ſemel.
Quot pardo ſimiles poſſim numerare Dynaſtas!
Nil quod laudemus, ſi toga deſit, habent.

FABULA IV.

Glans & Cucurbita.

RECTÈ cuncta facit Deus; haud percurrere terras
Eſt opus aut pontum, ſidereaſque domos:
Quod loquor, evincit ſatis una cucurbita, nudâ
Hîc tellure meos quæ jacet ante pedes.
Advertens Ægon oculis & mente ſtupebat
Quàm caule exilis, turgida ventre foret.
Hujus quid voluit ſibi frugis conditor? inquit;
Quàm ſede hanc poſuit conveniente parùm!
Pol! ſuſpendiſſem quercu benè cautus in illâ;
Hunc ipſum moles exigit iſta locum.
Dignior haud alius quiſquam tali arbore fructus,
Nec tali fructu dignior arbor erat.
Scilicet, eſt qualis fructus, ſit talis & arbor;
Hoc res acta modo, res erit acta benè.
Quin te in conſilium, cate vir, quin ille vocabat
Quem ſacrâ celebrat paſtor in æde tuus.

---

8. *Sede.* Sedes pro loco. Alii in cerebro dixerunt eſſe animi ſedem & locum. *Cic.* 1. *Tuſcul.* 19.

——— Non ut de ſede ſecundâ
Cederet aut quartâ ſocialiter. *Hor. Art. Poët. v.* 257.

8. *Conveniente.*
Conveniens miſeris hæc quanquàm gloria non eſt.
Ovid. l. 4. *de Pont. Epiſt.* 9. *v.* 103.
Non eſt conveniens luctibus ille color.
Idem. 1. *Triſt.* 1. *Epiſt. v.* 6.

9. *Suſpendiſſem in.* Hominem corripi ac ſuſpendi juſſit in oleaſtro quodam. *Cic.* 5. *Verrin.* 57.

O factum malè ! tu monitor ſi duxque fuiſſes,
Rerum ordo melior conditioque foret.
Glandem, quæ minimo digito vix æqua videtur,
Debuerat ramis ferre myrica ſuis.
Quo plus ſic poſitas in fruges lumina figit,
Plus erràſſe Deum cenſet acutus homo.
Tunc hærens : illis, inquit, dormire negatur
Queis adeò argutum mentis acumen ineſt.
Illicò decumbit, ſtertitque ſub ilice : lapſa
Glans noſtri nares vulnerat ecce ſophi.
Evigilat, tentatque manu, glandemque retentam
Hirſutis barbæ ſenſit ineſſe pilis.
Læſâ nare dolens, quæ fudit, verba recantat.
Hem ! fluit è noſtro vulnere ſanguis, ait.
Quid ſi in me gravior cecidiſſet ab ilice moles,
Glans ea ſi cucumis ventre tumente foret ?
At non ſic voluit naturæ providus Author.
Rectè equidem ; penitùs jam mihi cauſa patet.
Hæc ubi dicta, Deo quòd digerat omnia terris
Dat laudes Ægon, in caſulamque redit.

---

22. *Acutus homo.* Ægonem ſic vocamus per ironiam. Homo acutus eſt homo perſpicax. Homo acutus & naturâ uſuque callidus. *Cic.* 1. *de Orat.* 223.

23. *Tunc hærens.* Hærere aliquandò ſumitur pro dubitare, ancipitem eſſe ; quoniam, qui de aliquâ re dubitant, non moventur & ideò hærere & eſſe ſuſpenſi videntur. Ipſa eſt, hæreo quid faciam, *i. e.* incertus ſum animi, quid faciam. *Ter. Eunuch.* 5.

27. *Tentatque manu.*

Tentaſque manu, ſperaſque receptum.

Ovid. ad Livian. v. 327.

I. e. manu porrectâ exploras, inveſtigas.

36. *Dat laudes.* Æthiopicis laus ſumma datur. *Plin.* 36. *c.* 16.

FABULA V.

Puer, Magiſter, & horti Dominus.

Fronte, ſcholæ mores profitens oculoque procaci,
Quidam bis fatuus bis nebuloque puer;
Nempè ſuæ ætatis vitio, ſtolidique magiſtri
Qui ſubvertendæ jus rationis habet:
Cujuſdam fertur vicini illapſus in hortum,
Et poma & flores ſurripuiſſe ſimul.
Optima Pomonæ hic vicinus dona legebat
Autumno; aſt alii nil niſi quiſquilias.
Vere & carpebat lectiſſima munera Floræ,
Vectigalque dabant tempora quæque ſuum.
Nil curans puer ecce pyrum conſcendit in altam,
Et manuum reptans auxilioque pedum.
Germina, ſpem blandam, tenera & præludia frugum;
Copia quas ſpondet, decutit ungue malus.
Quin ipſos audet nequam dirumpere ramos.
Tandem horti dominus damna nefanda videt.
Mittit, qui graviùs coram doctore querantur.
Doctor adeſt, ſecum diſcipuloſque trahit.
Hoc duce, confeſtim puerile examen in hortum,
(Deterior ſoboles fure priore) ruit.
Officii ſpecie ſic damna didaſcalus auget,
Quem rudis atque procax eſt comitata cohors.
Hos, ait, adduxi, pœnâ ut præſente docerem,
Exempli & memores tempus in omne forent.

1. *Profitens*, i. e. *manifeſtans*, *indicans*.
Diſſimilemque ſui, vultu profitente, dolorem.
Ovid. ad Liviam.
I. e. nunciante, declarante illius dolorem.

Protinùs effundit Tullîque & dicta Maronis,
Atque hauſta è doctis dogmata multa libris.
Dùm vanum tumidus ſermonem protrahit, hortum
Gens mala centenis eſt populata locis.
Jure inviſa mihi facundæ copia linguæ,
Intempeſtivos dans ſine fine ſonos.
Haud, reor, eſt puero diſcente elementa, magiſtrum
Si ſtolidum excipias, pejor in orbe pecus.
Amborum melior mihi ſi vicinus adeſſet,
Læta mihi, fateor, non foret ulla dies.

---

30. *Sine fine.*
——— Imperium ſine fine dedi.
Virg. 1. *Æneid.* *v.* 279.
Immotoſque oculos in ſe ſine fine tenentem
Neſcius extimuit. *Ovid.* *l.* 2. *Metam.* *v.* 502.

FABULA VI.

Opifex & Statua Jovis.

MARMOREAM multo molem faber emerat ære;
Noſtra quid ex illâ dextera finget? ait.
Illane Numen erit labrumve, vel ædibus apta
Menſa exornandis? Sic volo, Numen erit;
Nec de plebe Deûm, ſed Juppiter ipſe: minaci
Terribilis teneat tela triſulca manu.
Mortales trepidate, preces jam fundite proni:
Terrarum omnipotens en dominator adeſt.
Ars ita naturam felix expreſſit, ut una
Spiranti vox ſit viſa deeſſe Deo.
Quin vix perfectâ effigie, fremuiſſe refertur
Primus, opuſque opifex pertimuiſſe ſuum.
Quos finxit metuens, iramque odiumque Deorum;
Plus ſanâ haud quondam mente poëta fuit.
Nil puero diſpar: pueros cura unica torquet,
Illato doleat ne ſua pupa malo.
Quò mens cæca trahit, pectus delabitur ultrò,
Hinc tot apud populos orta ſuperſtitio.

5. *De plebe Deûm.*
Vos quoque plebs Superûm, Fauni, Satyrique, Lareſque.
Ovid. in Ibin. v. 81.
Quâ bonus accubuit genitor cum plebe Deorum.
Martial. lib. 8. *Epigr.* 49. *v.* 3.

10. *Spiranti.* Spirans eſt participium, quod apud poëtas aliquandò idem ſignificat, ac quaſi vivens & ſpirans.
Stabunt & parii lapides, ſpirantia ſigna.
Virg. 3. *Georg. v.* 34.
Id eſt, tam artificioſè & affabrè facta, ut vivere & ſpirare videantur.

Hinc ſua ferventi ſtudio figmenta tuentur,
Pygmalion Venerem, quam fabricavit, amat.
Quilibet in ſolidas vertit ſua ſomnia formas,
Demens & totis viribus illa fovet.
In rebus veris toti frigere ſolemus;
In falſis totos igneus ardor habet.

Google

FABULA VII.

Stultus qui vendit Sapientiam.

STULTORUM propior lateri unquàm ſtare caveto;
Conſilium melius nemo dediſſe potis.
Cuicumque eſt voci vox præponenda monentis
Ut fugias, quibus eſt mentis inane caput.
Aulam hi ſæpè colunt, capiunt & principis aurem,
Quòd pravos ſalibus ridiculoſque petant.
Quidam vociferans ibat per compita ſtultus:
O! ſophiam quis vult? Hanc ego vendo, viri.
Plurimus accurrit vicis ex omnibus emptor,
Jamque implet totum credula turba forum.
Cœpit mercantes demens illudere, multis
Ludicra diſtorquens turpiter ora modis.
Dein ære accepto dabat ulnis longa duabus
Fila, addens colaphum non leviore manu.
Iraſci plures: ſed quid tunc ira juvabat?
Hinc magis inſulſæ fabula plebis erant.
Ridere his ſatius fuit, aut ſine queſtibus ullis
Cedere, cumque ſuo filo, alapâque ſuâ.

---

8. *Vult.* Velle *pro* optare. Gratiam tuam volo. *Plautius, Curcul.* 3. 35.

21. *Præſtare.* Interdùm ſumitur vel accipitur à juriſperitis pro *fidejubere, cautionem dare, exitum rei in ſe recipere, v. g.* præſtare alienum promiſſum, eſt alienum promiſſum in ſe recipere & quaſi proprium eſſet, velle ſatisfacere. Quidquid eſſet in prædicto vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtare oportere. *Cicer. l. 3. de Offic.* Horum non modò facta, ſed etiam dicta omnia præſtanda ſunt nobis. *Idem ad Fratr. l. 1. Epiſt. 1. 9.*

Noſſe rei ſenſum ſi quis voluiſſet, in illum
Ceu ſtolidum paſſim ſibila miſſa forent.
Stultorum facta an ratio præſtare jubetur ?
In læſo cerebro ſingula caſus agit.
Sudabat fili & colaphi perquirere cauſam
Quidam è deluſis, convenit ergò ſophum.
Ille nihil cunctans, mera ſunt hæc ſymbola, dixit;
Eximii ſenſûs, queis documenta latent.
Quàm longum hoc filum, tam longè abſcedere cures
A ſtultis, animus ſi tibi cautus erit.
Sin, par accipies munus; non falleris: iſte
Divendit ſophiam quâ tamen ipſe caret.

---

25. *Symbola.* Symbolum multas habet ſignificationes. Sed hic ſumitur, ut apud antiquos pro notâ quâdam, quâ quidpiam occultatur, ſed tamen doctis auribus intelligendum proponitur.

FABULA VIII.

Oſtrea & Homines litigantes.

Forte viatores duo nudo in littore cernunt
Oſtreon, advexit quod maris unda recèns.
Ambo oculis ſorbent, digitoque ſibi indice monſtrant;
Quis dentem infigat? lis dirimenda fuit.
Jam ſe demittit, quò prædam colligat, alter:
Alter at impellens hanc rapuiſſe vetat.
Ohe! plus æquo feſtinas, dixit; opimæ
Debita cui prædæ gaudia, ſcire decet.
Cernere qui primus potuit felicior eſcam,
Hauriet hanc unus, teſtis & alter erit.
Tùm comes: hinc libeat tibi ſi reſcindere litem;
Gratia Cœlicolis, lumina acuta mihi.
Et mihi non obtuſa; equidem vidi prior eſcam.
Viſa tibi, olfacta eſt illa ſed antè mihi.
Egregiè verbis dùm ſic contendit uterque,
En Perrinus adeſt, arbiter eligitur.
Ille gravi vultu geminas, quibus oſtrea clauſa,
Recludit conchas, teſte & utroque vorat.
Tùm pranſus, ſolio ut præſes ſublimis ab alto:
Teſtam, ait, æqua Themis donat utrique ſuam;
Nec petit expenſas, finita eſt cauſa, valete:
Veſtram pacifici jam remeate domum.

Advertas, quantùm comedatur litibus auri,
Hinc multis ſuperet quantula ſumma viris;
Hoc tu comperies: ſaccum chartaſque relinquit
Partibus, æs judex dùm trahit omne ſibi.

---

23. *Comedatur.* Comedere propriè eſt edere, manducare; metaphoricè eſt conſumere. Putat enim Pompeius ſuos nummos vos comediſſe. *Cic. Epiſt.* 1. *Attic. l.* 6.

——— Venit in mentem,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam,
Ut potiùs comedim, quàm ille, &c.
Plaut. in Curcul. act. 4. *ſc.* 4. 4.

Gallicè. Il m'eſt venu dans l'eſprit de redemander mon argent avant que le banquier s'enfuie, afin que je le mange plutôt que lui.

Comedim pro *comedam* veteres dixerunt. Cura, ſi me amas, ut valeas, ne ego, te jacente, bona tua comedim. *Cicer.* 9. *Famil.* 10.

FABULA IX.

Lupus & Canis macilentus.

Ne brevis ardenti ſartagine tinca periret;
    Quas bellè fudit, non vetuêre preces.
Culpavi incautos, prædæ majoris inani
    Qui ſpe dimittunt, quod ſua dextra tenet.
Piſcator cordatus erat, nec piſcis ineptus.
    Quiſque animam ſervat, quâ valet arte, ſuam.
Quæ tunc eventu lepido mea muſa docebat,
    Ecce novo exemplo vera probare licet.
Sic mentis lupus obtuſæ, ut piſcator acutæ,
    Eſt procul à pago nactus heroque canem.
Impranſus trepidum in latebras raptare parabat;
    Cauſatur maciem protinùs ille ſuam.
Me nimis exſuccum ne tollas, optime princeps,
    Non facit ad ſtomachum tam macra cœna tuum.
Expecta: noſter, cui nata eſt unica, diti
    Mox illam ſponſo conſociabit herus.

---

5. *Cordatus.* Qui corde præditus eſt, *id eſt*, ſolers & ſapiens: antiqui enim philoſophi quidam in corde ſapientiam conſtituebant. Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus. *Ennius apud Ciceron.* 1. *Tuſcul.* 18. Non inficior fuiſſe Socratem paulò cordatiorem quàm cæteros. *Lactant.* 3. 20.

6. *Animam.* Anima *pro* vitâ, ut plurimùm accipitur.

Summum crede nefas animam præferre pudori.
Juvenal. 8. *Sat.* *v.* 83.

Denique, quid reliqui habemus præter miſeram animam. *Saluſt. in Catilin.*

Vos animam ſævæ feſſam ſubducite morti.
Ovid. 1. *Triſt.* 4. *Eleg.* *v.* 27.

Cenſes me largè pranſurum his adfore feſtis:
  Hinc modico, ut nolim, tempore pinguis ero.
Credulus aſſentit lupus, intactumque relinquit;
  Congreſſu ex illo pauci abiêre dies.
Ergò memor rediit lupus idem; noſſe volebat
  Aptior ad cœnam nùm ſua præda foret.
Se tectò abdiderat canis, alloquiturque latronem
  Per crates, ſævæ tutus ab ore feræ.
Si vacat, expecta, te non remorabor, amice,
  Gaudebitque mihi janitor eſſe comes.
Janitor iſte moloſſus erat, propè Cerberus alter,
  Aſſuetus fauces frangere ritè lupis.
Illicò rem ſentit deluſus latro, doletque.
  Hem, dixit, valeat janitor iſte tuus.
Tùm dare terga fugæ: curſu, non mente valebat;
  Artem norat adhuc non benè prædo ſuam.

FABULA X.

Ne quid nimis.

Quoquò vertam oculos, res non mihi cernitur ulla ;
  Quæ certo norit ſe cohibere modo.
Eſt quoddam medium citra quod ſtare vel ultra,
  Quidquid agas, ſummus te vetat ire parens.
Lex ea ſervatur ? Minimè. Hanc non lædere pauci
  Curant, ſeu benè res, ſive ſit acta malè.
Plus æquo denſi dono prædivite farris,
  Sæpè exhaurit agros, cui coma flava, Ceres.
Totque ſupervacuas tellus hinc parturit herbas,
  Ut propriis tollat fructibus ipſa cibum.
Pomorum genitrix ſibi non mage temperat arbor :
  Cuncta adeò luxûs cæca libido tenet.
Quò Deus immodicas meſſes cohiberet, edaces
  Luxuriem ſegetum carpere juſſit oves.
Meſſes in medias grex irruit, omnia vaſtat :
  Nec pudet ex omni parte vorare ſata.
Fas fuit ergò lupis agnas diſcerpere quaſdam ;
  Immiti cunctas fauce dedêre neci.
Vel ſaltem cunctas extinguere, mille per artes,
  Non aggreſſa ſemel gens ſine more vorax.

---

1. *Quoquò*, adverbium ad locum, *pro*, in quemcumque locum: Ita quoquò ſe verterint ſtoïci, jaceat neceſſe eſt omnis eorum ſolertia. *Cic. 2. de Divin.* 149.

Certum eſt mihi, quaſi umbra, quoquò ibis, te perſequi.
Plaut. Caſin. act. 1. ſc. 1. v. 4.

I. e. mihi deliberatum eſt, te perſequi, quaſi ſim umbra, quocumque tu iveris.

Sævitiem eſt homini conceſſum plectere tantam;
Ipſe homo tranſiliit juſſa verenda poli.
Nos magis effrenos reliquis animantibus, eheu!
Trans juſtos fines improbus ardor agit.
Culpari ſimul hîc ſummos & oporteat imos.
Hoc vitium, ſpirat quidquid in orbe, tenet.
Unâ voce omnes, *ne quid nimis*, undique clamant;
Nullius mores lex tamen iſta regit.

Digitized by Google

FABULA XI.

Cereus.

Missas, ut perhibent, Divûm è cœleſtibus oris
Excepit primas dulcis Hymettus apes.
Diſtendêre alvum certatim nectare odoro,
Illic quod zephyri blandior aura fovet.
Poſtquàm gens hominum rapuit de ſedibus aureis
Quam parit ambroſiam flava propago Deûm,
Clariùs aut factum trito ut ſermone loquamur,
Omnes melle ſuo cùm caruêre favi;
Unica direptis in cellis cera remanſit,
Cereus & factus plurimus indè fuit.
Quorum unus, lateres coctos ardente camino
Præduros fieri, qualia ſaxa, videt.

2. *Dulcis Hymettus.*

——— Dulcique ſenex vicinus Hymetto.
Juvenal. Sat. 13. *v.* 185.

———. In dulcem reges dimittit Hymettum.
Valer. Flacc. lib. 1.

Hymettus erat mons Atticæ, mellis ferax; undè dulcis appellatur.

3. *Diſtendêre.* Diſtendere *pro* implere.

——— Et dulci diſtendunt nectare cellas.
Virg. 4. *Georg. v.* 164.

——— Coridon diſtentas lacte capellas.
Idem. Eglog. 7. *v.* 3.

7. *Loquamur.*
Sit mihi fas audita loqui. *Virg.* 6. *Æneid. v.* 266.
Phœbus volentem prælia me loqui.
Horat. l. 4. *Od.* 13. *v.* 1.

Illæſoſque ſtupens durando vincere ſecla,
Annos arte pari vincere poſſe cupit.
Tùm medios, novus Empedocles, propriâ actus in ignes
Stultitiâ, flammis debita præda, ruit.
At ſophiæ ne elementa quidem libaverat: omnes
Omnia non poſſunt: dos ſua cuique data eſt.
Erras qui contrà cenſes. Nil finxit eodem,
Quo te formavit, dextra ſuprema, typo.
Cereus Empedocles mediâ eſt fornace liquatus:
Empedocle haud Siculo ſtultior ille fuit.

---

13. *Durando vincere.*
——— Immota manet, multoſque per annos
Multa virûm volvens durando ſecula vincit.
Virg. l. 2. Georg. v. 295.

Digitized by Google

FABULA XII.

Jupiter & Vector.

Templa ut diteſcant, ſi quæ diſcrimine preſſus
Quiſque facit, curet reddere vota Deis!
Sed vix dùm ſiluit tonitru, & fugiente procellâ,
Cœperunt trepidos ponere corda metus,
Effugiunt animo quæ cœlo debita; tantùm
Debita quæ terris, nos meminiſſe juvat.
Impius hæc ſecum: neſcit regnator Olympi
Mittere lictores, creditor eſtque bonus.
Quid verò, quid ſunt minitantes fulminis ignes;
Et ſigna irarum vindice miſſa polo?
Vector Titanûm domitori voverat olim
Centum, dùm ſævit dira procella, boves.
Ipſi nullus erat bos. Quidni centum elephantes
Vovit? Res ſumptûs non gravioris erat.
Cùm tenuit littus, tantùm pauca oſſa cremavit:
Se Jovis ad nares fert malè gratus odor.

2. *Deis.*

Quâ feſtus promiſſa Deis animalia ceſpes
Expectat. *Juvenal. Sat.* 12. *v.* 2.

——— Ille Deis authoribus ultor
Patris erat. *Idem. Sat.* 8. *v.* 216.

4. *Vix dùm* pro *vix.*

Vix dùm dimidium dixeram, intellexerat.
Terent. Phorm. 4. 2. 4.

13. *Vector pro eo qui navi vehitur.*

Cedet & ipſe mari vector. *Virg.* 4. *Eglog. v.* 38.
Vectores timidi adverſâ tempeſtate. *Cic.* 3. *de Nat. Deor.* 89.

O Deus! exclamat, noſtrum nunc excipe votum;
  Tauri nidorem naribus ecce bibis.
Promiſſa exolvo ſatis iſto munere: fumus
  Eſt tua pars; jàm non debeo plura tibi.
Celavit riſu ſimulato Juppiter iram,
  At mox impietas vindice luſa Deo eſt.
In ſomnis genium ſcelerati mittit ad aurem,
  Qui gazam in tali nuntiet eſſe loco.
Confeſtim votum qui fecerat advolat illuc,
  Jam reſtinguendo tanquàm opus igne foret.
Armatos jaculis videt hìc adſtare latrones:
  Huic tantùm in loculis nummulus unus erat.
Quò redimat vitam, his auri centena talenta
  Promittit, propriâ mox numeranda manu.
Talis in oppiduli tellure recondita jurat:
  Turba rapax fictum credidit eſſe locum.
Promiſſori unus, nos rides, dixit, amice;
  Nunc morere & ſtygio fer tua dona Jovi.

FABULA XIII.

Felis & Vulpes.

Longinquas ibant vulpes & felis in oras,
  Relligio impulerat viſere templa Deûm.
Mitem oculum, placidos greſſus, vultuſque modeſtos
  Quicumque aſpiciat, ſanctulam utramque putet.
Par illis toto nullus veterator in orbe,
  Nullus virtutis par ſimulator erat.
Quò poſſent penſare viæ diſpendia, multa
  Gallina his, multus caſeus eſca fuit.
Cùmque foret via longa nimis, ne tædia ferret,
  Fecêre alternâ garrulitate brevem.
Linguâ acres certant, multùm hæc certamina proſunt;
  Si deſint, teneat pectora ſomnus iners.
Vox propè raucefcit, clamant tam fortiter ambæ;
  Mox de cognatis mentio facta feris.
At tandem feli ſic vulpes: noſtra ſodalis
  Uſu te longo plurima noſſe putas.
Verum age: ten' credis, quot ego, callere tot artes?
  Sunt in fecundo, ſunt mihi mille ſinu.
Tùm comes: ingenium ſolers mihi ſufficit unam,
  Hanc ſed contendo millibus eſſe parem.

6. *Simulator* pro *eo qui ſimulat.*

At pater è populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremque figuræ.
Ovid. 11. *Metam.* *v.* 634.

18. *In ſinu.* Cæſar, mihi crede, in ſinu eſt, *i. e.* in meâ poteſtate. *Cic. è Fratri. l.* 2. *Epiſt.* 12.

Rurſùm depugnant : hæc quod negat, illa tuetur.
  Advenire canes, liſque dirempta fuit.
Sic felis vulpi : pectus nunc excute ; certum
  Artifici in cerebro nunc tibi quære dolum.
En meus : excelſæ prenſat ſimul arboris ima
  Unguibus incurvis, aſſequiturque caput.
Diſcurrit vulpes, intratque cubilia centum,
  Effugit & variis fraudibus ora canum.
Undique perfugium ſibi quærit, & undique pellunt
  Curto crure canes, fumus agitque ſequax.
Ultimâ ut exiliit foveâ, primo impete fauces
  Comminuit geminus, cui cita planta, canis.
Artes ſi nimio plures, quandòque nocivæ;
  Dùm ſit delectus, tempus inane teris.
Anxia mens hæret ſeſeque per omnia verſat;
  Ars erit una tibi, ſit modò certa, ſatis.

---

26. *Caput* pro *ſummitate arboris.* Movere ſilvæ capita. *Senec. in Troad.* 173.

Tollebant geminæ capita inviolata cupreſsûs.
Claudian. de rapt. Proſerp. l. 3. 370.

I. e. ſummitates florentes & non antè cæſas. Caput vitis. *Columella. l.* 3. *cap.* 10.

FABULA XIV.

Theſaurus & duo Homines.

Se quidam auxilioque fideque carere dolebat;
Et plenum eſſe ſibi ſacculum araneolis.
Jam certum eſt tantos laqueo finire dolores,
Quos, niſi ſe perimat, finiet atra fames.
Hoc genus interitûs haud illis dulce videtur,
Quos nondùm lethi dira cupido tenet.
Semiruta ergò domus nullique habitata colono;
Delecta ad facinus nobile ſcena fuit.

---

1. *Fide.* Fides quandòque ſumitur pro fiducia, quam de nobis habent cæteri homines. Tùm cùm in Aſiâ res magnas permulti amiſerunt, ſcimus Romæ ſolutione impeditâ fidem concidiſſe. *Cic. pro lege Maniliâ.* 19. Tueri fidem ſuam, *i. e.* ſervare illæſam famam locupletis debitoris. *Idem.* 11. *Attic.* 2. Hujus pecuniæ permutatione facilè fidem noſtram tuebere. *Idem. Attic. l.* 2. 1.

2. *Sacculum.* Sacculus ſæpè ſumitur pro crumenâ.

Excuſſi loculoſque ſacculumque.
Martial. l. 5. *Epigr.* 39.

Ignoret, quantùm ferratâ diſtet ab arcâ
Sacculus. *Juvenal. Sat.* 11. *v.* 27.

Id eſt, ignoret, quantùm parva crumena differat ab arcâ ferro munitâ, quæ magnas opes continet.

——— Nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.
Catull. ad Fabellum, 12. *v.* 18.

Id eſt, tui Catulli exigua crumena eſt tantùm araneis plena. Hic Catullus maximam ſuam indicat paupertatem. Hæc Catulli verba ab Eraſmo inter proverbia referuntur. *Pag.* 908. *Centur.* 3. *adagiorum Chyliadis* 4.

Fert reſtem, muro clavum defigit, ut indè
Appendat collo vincla parata ſuo.
Haud firmus paries quem longa exederat ætas,
Concuſſus primis ictibus, ecce cadit.
Caſu inſperato theſaurus decidit unà;
Cui ſpes nulla priùs, vivere geſtit homo.
Collectos capit aureolos, nec computat : impar,
Vel par ſit numerus, ſumma perindè placet.
Et clavum & reſtem necis inſtrumenta relinquit,
Atque celer dulci pondere onuſtus abit.
Poſt paulò advênit qui muro credidit aurum.
Attonitus nummos cernit abeſſe ſuos.
Quid! damnum hoc patiar, nec, ait, ſuſpenſus obibo?
Sic faciam, laqueus vel mihi nullus erit.
Præſto aderat funis, deeſt tantùm homo pendulus. Iſte
Se bellè appendens, guttura reſte premit.
Nec leve ſolamen ſenſit fortaſsè, paratus
Alterius ſumptu quòd ſibi funis erat.
Sic ſuus haud laqueo dominus, neque defuit auro.
È terris raró lætus avarus abit.
Furibus infeſtis, demens avidisve propinquis,
Defoſſas vel humo, non ſibi ſervat opes.
At de Fortunâ quidnam cenſebo jocante,
Quâ mutata hominis ſors utriuſque fuit?
Sic juvat hanc variare vices; quò pluſque ſtupendos
Eventus peperit, lætior eſſe ſolet.
Se ſuſpendentem laqueo ſpectare volebat
Tunc hominem, conſtans in levitate Dea;
Expectanda minùs cui talia fata putaſſes,
Hic miſerum eliſâ fauce pependit onus.

FABULA XV.

Simius & Felis.

Simius & felis domino vixêre ſub eodem
Ambo, & communes incoluêre lares.
Nobile par, aſtu lædendique arte gemellum,
Cujuſquam vinci non timuêre dolis.
Si quidquam lacerumve domi, aut ex ordine motum,
Nemo è vicinis inſimulandus erat.
Caſeolum, haud mures, curabat tollere felis,
Simius & quodvis ſubripiebat hero.
Vidit torreri prunis inſignis uterque
Latro caſtaneas, dùm ſedet ante focum.
Has rapere expediat; ſociis gemina indè voluptas,
Nempè aliis damnum ferre, ſibique lucrum.

---

1. *Eodem.*
Limus hic ut dureſcit & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodemque igni. *Virg.* 8. *Eglog.* v. 81.
——— Quas & tartaream nox intempeſta
Uno eodemque tulit partu. *Idem.* *Æneid.* *l.* 12.

3. *Nobile par*, &c.
——— Par nobile fratrum
Nequitiâ, nugis, pravorum &, amore gemellum.
Hor. *l.* 2. *Sat* 3. v. 242.
——— Hâc in re ſcilicet unâ
Multùm diſſimiles, ad cætera penè gemelli.
Idem *l.* 1. *Epiſt.* 10. v. 3.
I. e. tanquàm gemelli fratres in cæteris rebus.

12. *Ferre* pro *afferre.*
——— Nec credere quivi
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
Virg. 6. *Æneid.* v. 464.
——— Ex hoc ego ſanus ab illis
Perniciem quæcumque ferunt. *Hor.* *l.* 1. *Sat.* 4. v. 124.

Simius ad felem : ô frater, nunc arte magiſtrâ
Eſt opus, has fruges tu mihi tolle foco.
Mî tua ſi conceſſa foret ſolertia, jam nunc
Sentirent, valeat quid mea dextra, nuces.
Nec mora : jam tactu felis leviore favillam
Submovet, hinc illinc pervolitante manu;
Fertque refertque frequens digitos : raptim unguibus unam,
Deindè duas, mox tres tollit ab igne nuces.
Simius intereà ſtrepitante has dente terebat,
Dira ancilla flagro cum minitante venit.
Quà data porta, citò noſtri fugitare latrones.
Felis, ſic perhibent, non ita læta ſuit.
Lætior haud princeps qui pugnæ irrupit in ignes,
Vanus, & hinc unas regis adauxit opes.

FABULA XVI.

Milvius & Luſcinia.

Milvius innumeris famoſus prædo rapinis,
Finitima impléſſet cùm loca quæque metu,
Hunc licèt arcerent pueri clamore, recurvâ
Luſciniàm miſeram ſuſtulit ille manu.
Da mihi, da, quæſo, clementi pectore, vitam;
Me redde & campis, nuntia veris ait:
Quippe tibi quænam præbere obſonia poſſim
Tantula ego, ſolos & dare nata ſonos?
Dulcia noſtræ audi potiùs modulamina vocis,
Tereos infidi vota nefanda canam.
Iſte quid eſt Tereus? nùm milvis utilis eſca?
Non ita; parce, precor, rex furioſus erat.
Ah! nimiùm memini: vetito igne cupidinis arſit;
Iſte foret, ſenſi, quàm violentus amor.
Vin', referam inſolitum, modulans, ex ordine caſum?
Intereà blandis tu rapiêre ſonis.
Et quis non rapitur, noſtri dulcedine cantus?
Hæc reſponſa dedit ſanguinis ales amans:
Nempè ego te miror, me nunc jejunia torquent,
Et mihi de cantu ſplendida verba facis!
Verba eadem facio vel coram regibus ipſis.
Quandò te capient, regibus iſta cane:

Ridet at impranſus cantorem & carmina milvus;
Venter quandò cibos appetit, aure caret.

---

24. *Aure caret.* Eraſmus, *adagiorum Chyliadis ſecundæ*, *Centuriâ octavâ*, *paginâ* 583, ponit inter adagia hanc ſententiam. *Venter auribus caret.* Celebratur, inquit, à Plutarcho Gellioque dictum illud Catonis in oratione quâdam, quâ diſſuaſit legem agrariam. Eam ſic exorſus eſt, ut dicat arduum eſſe ad ventrem verba facere, qui careat auribus; nec ineptè accommodabitur in eos, qui ventris addicti voluptatibus, nihil admittunt, quod ventri non ſit amicum.

FABULA XVII.

Paſtor & Oves.

Ergò aliquis ſemper ſtolidâ hâc de gente peribit?
Semper erunt epulæ per mea damna lupo?
Impiger omne pecus fruſtrà numerare laboro:
Deridet numerum dente rapaçe fera.
Mille aderant imò plures; non obſtitit ulla,
Quin mihi dilectam tolleret hoſtis ovem,
Optimam ovem; dextrâ cui quandòcumque benignâ
Triticeæ cereris fruſtula ſalſa dabam,
Ibat in urbe comes mihi tanquàm fida catella,
Mecum & ad arctoas eſſet itura plagas.
Noverat heu! modulans quid noſtra cicuta ſonaret,
Pluribus à ſtadiis olfaciebat herum.
Proh dolor! hanc periiſſe! Gemens ubi Tytirus agnæ
Laudibus egregiis nomen ad aſtra tulit,
Ductores, agmen totum, cum matribus agnos
Compellans, forti pectore ſtetis, ait:
Ædepol, arcendis ſatis hoc erit hoſtibus unum.
Omnes unanimi voce dedêre fidem.
Noſter honos agitur, teſtamur ſidera, Divos;
Stabit noſtra, velut ſaxea meta, cohors.
Nos nos lurconi rumpemus colla ſceleſto,
Qui rapuit noſtri gaudia ruris ovem.

---

18. *Dedêre fidem.* Dare fidem eſt ſanctè promittere. Do fidem ita futurum. *Terent. Eunuch.* 5. 9. 30. *I. e.* Juro, polliceor, meamque fidem obligo hoc ita fore, ut petis.

Perque ſuum ſpondent caput omnes ; credere paſtor,
Excipere & plauſu martia dicta gregis.
Nox priùs at rebus quàm tolleret atra colorem,
Cauſa inopina metûs orta repentè fuit.
Viſus adeſſe lupus; totum citò diffugit agmen.
Nec lupus ipſe aderat, falſa ſed umbra lupi.
Acribus ignavos incende ad prælia dictis ;
Et ferro & flammâ ſternere cuncta parant.
Sit leve diſcrimen ; jàm virtus fracta : fugaces
Nec potes exemplo, nec retinere minis.

Finis Libri noni.

SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER DECIMUS.

FABULA PRIMA.

Duo Mures, Vulpes & Ovum.

AD DOMINAM DE LA SABLIERE.

IRI, tuas eſſet promptum mihi dicere laudes;
Reſpuis at ſemper, quæ tibi thura fero.
Quàm tu diſſimilis reliquis mortalibus, urit
Quas avido uſque novæ pectore laudis amor.

---

1. *Eſſet promptum.* Vide notam 13. Fab. 9. lib. 7.

3. *Diſſimilis* cum dativo.

Diſſimile hoc illi eſt. *Horat l. 1. Sat. 6. v.* 49.

Nihil tam diſſimile, quàm Cotta Sulpitio. *Cic de Clar. Orat.* 204.

Sunt alia exempla, in quibus diſſimilis genitivo jungitur, *verbi gratiâ.*

——— Sectani diſſimilis ſis. *Hor. l. 1. Sat. 4. v.* 111.

Tam dulci videas nullam obdormire ſuſurro ;
  Nec culpare velim, rem tolerare licet.
Commune hoc ſtudium Diis, regibus atque puellis,
  Sic eſt : mens laudem quæque ſitire ſolet.
Laus eſt ille liquor quem gens Parnaſſia jactat,
  Æterno nectar quod bibit ore tonans:
Terrarum Divis quod ſæpè propinat Apollo,
  Et quo deliciis ebria corda tenet.
Reſpuis hoc nectar ; ſed qui præconia ſupplet,
  Mentem alius ſermo detinet, Iri, tuam.
Colloquia innumeris recreant te rebus amœna,
  Quas felix caſus ſed ſine lege ferit.
Quid quòd tu nugas lepidè inter ſeria miſces ?
  Res conſtat, quanquàm credere turba negat.

---

7. *Studium* pro *indole & animi propenſione.* Is adeò diſſimili ſtudio eſt. *Terent. Adelph* 1. 1. 16. Gallicè : *Il eſt d'une humeur toute différente.*

——— Verùm
Eſto alios aliis rebus ſtudiiſque teneri.
Hor. l. 1. *Epiſt.* 1. *v.* 80.

7. *Diis.* Hæc vox apud poetas contrahitur in unam ſyllabam.
Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum.
Virg. 3. *Georg. v.* 513.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miſcent Superis. *Horat. lib.* 1. *Od.* 1.

8. *Sitire.* Sitire propriè ille dicitur, qui appetit bibere; ſed per tranſlationem *ſitire* aliquandò accipitur pro *vehementer cupere*, ſicut *ſitis* ſumitur pro *vehementi alicujus rei cupiditate.* Nec *ſitio* honores, nec deſidero gloriam. *Cic.* 3. *Quinto fratri.* 4.

17. *Quid quòd* pro *quin etiam* eleganter dicitur.
Quid quòd uſque proximos
Revellis agri terminos ? *Hor. l.* 2. *Od.* 13.
Quid quòd ſapientiſſimus quiſque animo æquiſſimo moritur ? *Id eſt*, an prætereà dicam quòd ſapientiſſimus, &c. *Cicer. de Seneƈt.* 85.
Quid quòd & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur. *Juvenal. Sat.* 6. *v.* 45.

Turba neget : nil curo : ſcientia, ſomnia, nugæ,
  Res minimæ proſunt, colloquiumque juvant.
Nil ad colloquium non confert : area vaſta eſt,
  Spontè ubi Flora ſuas prodiga ſpargit opes.
Floribus hìc variis apis inſidet, atque laborum
  Felix ex omni re ſibi mella facit.
His ergò poſitis, tanquàm fundamine certo,
  Haud ægrâ, dicam quæ modò, mente feras.
Quædam animum invitans ſophia eſt ſubtilis & audax,
  Famâ an nota tibi ? Dicitur illa recens.
Fabellis hujus placita interponere noſtris
  Auſim ego : dicenti tu mihi læta fave.
Iſti ſi credas ſophiæ ; eſt fera machina, mentis
  Et ſenſûs expers, totaque corporea.
Non ex delectu, ſed ſe movet impete cæco ;
  Vis illam, in nervis quæ latet, intùs agit.
Pixidis haud aliter, ſonitu quæ denotat horas,
  Conſtans eſt motus perpetuuſque tenor.
Ipſi nulla tamen ratio, prudentia nulla ;
  Hanc aperi, inque ſinu quid tegat illa, lege :
Fungitur hìc mentis vicibus rota multa ; ſecundam
  Prima movet, ſequitur tertia, fitque ſonus.
Eſt minimè diſpar, ut cenſent, bellua : partem
  Illius unam, oculis obvia imago ferit.
Ictu concutitur pars proxima, deindè remota ;
  Motus & ad cerebri pervenit uſque ſinum.
Fit tandem impulſus : quo pacto ? Lege potenti
  Neſcia quæ vinci flectit agitque feram.
Elicitur nullus conſenſus, nulla voluntas,
  Affectus nulli, nec ratio ulla præeſt.

---

24. *Mella facit.* Mel facere dicuntur apes. *Plin. l. 11. c. 18.*

Longè aliter cenſet plebs : ipſâ judice, mœret
Bellua, lætatur, vult, dolet, odit, amat.
Conſimiles noſtris motus oriuntur in illâ ;
Sic vulgus : vulgi tu cave ſenſa ſequi.
Ergò pecus quidnam eſt ? Horarum nuntia pyxis.
At nos naturæ diſparis eſſe liquet.
Rem ſic expoſuit Carteſius, ille vir, olim
Quem tu feciſſes, Ethnica Roma, Deum.
Qui medius ſanè eſt hominem inter & angelum, ut inter
Oſtreon ac hominem quidam homo, vera pecus.
Mî data mens, inquit ſophus ille, feriſque negata
Artificis quæ ſunt omnipotentis opus.
Cogito, ſumque meæ mentis mihi conſcius ipſe.
Verùm eſto ; quævis cogitet, Iri, pecus.
Attamen ut pulchrè noſti, fera quæque reflexâ
In res, in ſeipſam, cognitione caret.
Nec ſolam hanc ipſi dotem Carteſius aufert ;
Exclamat : minimè cogitat ulla pecus.
Non hìc ancipiti tu pendes mente, nec ipſe
Pendeo, ſitne fides huic adhibenda ſopho.
Mixta tamen ſimul atque virûm clamoribus altis
Per ſilvas paſſim cornua acuta ſtrepunt,
Alipedem & cervum, cui denos cornua ramos
Annoſo geſtant, fervida turba premit :
Fûgit ubi niſu vano atque refûgit anhelans
Præda per implicitas irrequieta vias ;
Supponit feſſo ſibi cervum ætate minorem,
Illicium ut canibus præbeat ille novum.
Quàm mira exequitur, ſolo vitæ actus amore,
Quæ mentis credas eſſe ſagacis opus.
Quot motus fictos ! quot curſus atque recurſus !
Quot varias artes, multipliceſque dolos !

Lucet in hoc vel ſumma ducum prudentia cervo,
Sorte quidem dignus qui meliore fuit.
Poſt obitum miſerè lacerantur viſcera ferro,
Ultimus hic miſero redditur unus honos.
Cùm nido in molli caris circumdata pullis
Diſcrimen perdix non procul eſſe videt,
Atque gregem tenerum quem vix nova plumula veſtit,
Non fugere aëriâ funera poſſe viâ;
Hæc læſam ſimulat, ceu fractâ claudicat alâ,
Quò venantem ad ſe vafra canemque trahat.
Fraude piâ callet ſic longè arcere periclum,
Et tutam ſobolem præſtat ab hoſte ſuam.
Ut jam perdicem latrantis fauce teneri
Credit homo lætus; tùm vale dicit avis.
Evolat; hanc oculis ſequitur venator; hiantem
Deridet perdix, irrevocanda fugit.
Extat hyperboreo plaga quædam haud diſſita tractu;
Incultum, hîc homines ſunt, & agreſte genus.
Prorsùs & ignari vivunt, ceu tempore priſco.
Aſt ibi dexteritas ingeniumque feris.
Hæ ſolida attollunt operoſo clauſtra labore,
Ne torrens tumidus depopuletur agros.
Prælongas jungunt per moles littus utrumque:
Stat ſolidum, & longo tempore durat opus.
Ligneo arenatum corio corium incubat, aptè
Impoſitum. Caſtor quilibet urget opus.

---

82. *Meliore.*
I, decus i noſtrum, melioribus utere fatis.
Virg. Æneid. 6. v. 546.

89. *Læſam ſimulat.*
Et ſanum ſimula. *Ovid. Remed. am. v.* 493.

101. *Clauſtra ſeu repagula.*
——— Animuſque
Fert & amat ſpatiis obſtantia rumpere clauſtra.
Horat. l. 1. *Epiſt.* 14. *v.* 9.

Communis labor eſt, ſeniorque ætate minorem
Impiger exſtimulat; tempora nulla vacant.
Dux operum non unus adeſt, ſublime flagellum
Dextra tenet, plectit verberibuſque moras.
Credo equidem, tua, clare Plato, reſpublica cedit
Genti, quæ terræ vivit & hoſpes aquæ.
Dùm deſævit hiems, malè nos & reddit inertes,
Artifici callent tollere tecta manu.
Et longos lacuum tractus tranſmittere, firmos
Per pontes, propriæ Dædaleum artis opus.
Rem quanquàm videt; hîc ſolo gens noſtra natatu,
Undarum liquidum findere novit iter.
Adducar, fateor, rationum pondere nullo,
Caſtorem ut eſſe animæ corpus inane putem.
Rem, quam plus ſtupeas, audivi à principe magno,
Cujus pervênit laus ad utrumque polum.
Quem ſequitur, ceu fida comes, victoria, gentis
Arctoæ vindex, hic mihi teſtis erit.
Nempè polonorum regnator, nomine ſolo
Æneus Ottomanum murus in imperium.
Mentitur nunquàm re[illegible]tulit ergò poloni
In regni quaſdam finibus eſſe feras
Alterno ardentes odio; quæ tempore ab omni
Acriùs inter ſe bella cruenta gerunt.
È patribus ſanguis tranſmiſſus ad uſque nepotes
Fontem odii renovat, perpetuumque facit.

---

108. *Vacant.* Nullum tempus illi unquàm vacabat. *Cic. de Clar Orat.* 271.

132. *Fontem.* Fons metaphoricè *pro* causâ & origine. Non enim ipſam cauſam atque fontem eſſe mœroris. *Cicero.* 3. *Tuſcul.* 26.

Obliti fontem curarum, hunc eſſe timorem.
Lucret. lib. 3. *v.* 82.

Si ſpectes habitum vel formam corporis, inquit,
   Prorsùs germanas vulpibus eſſe reor.
Nec priſcis ſeclis, noſtro nec tempore, bella
   Arte, homines inter, geſta fuêre pari.
Sunt ipſis acies, ſpeculæ, munimina, caſtra,
   Exploratores, excubiæ, inſidiæ.
Norunt, atra docet quodcumque ſcientia, mater
   Fecunda heroum, filia dira Stygis.
Marti certatim gaudent impendere, quidquid
   Usûs, ingenii, quidquid & artis habent.
Ipſarum pugnas dignè tuba cantet Homeri,
   Quem terris utinàm reddere Pluto velit!
Rivalem nobis Epicuri reddat & unà;
   Quid de his exemplis diceret iſte ſophus?
Mox quod ego dixi, nempè hæc peragi omnia tantùm
   Naturæ ductu, mobilibuſque fibris.
Vim reminiſcendi pendere à corpore; & illam,
   Quæ retuli ut faciant mira, ſat eſſe feris.
In ſenſus iterùm cùm res percepta recurrit,
   Ipſa quoque excitur rursùs imago rei.
Spirituum (ſua dùm relegunt veſtigia) motu,
   Confici idem debet, mens licet abſit, opus.
Quæ gerimus, veniunt à longè diſpare causâ:
   Unica vis proprii nos agit arbitrii.
Nec rerum ſpecies, ſeſe quæ ſenſibus offert,
   Nec vis naturæ cæca repentè rapit.
In me principium quoddam viget, imperat, illud
   Sentio, quandò ſciens ambulo; quandò loquor.
Hoç neque corporeum dicas, neque corpus; apertè
   Quin & lucidiùs corpore percipitur.

---

162. *Percipitur.* Percipere *pro* intelligere. Cognoſcere, percipere aliquid. *Cicero de Finibus* 64. Percipite diligenter quæ dicam. *Idem in Catil.* 27. Celeritas percipiendi. *Quintil. L.* 1, *cap.* 10.

In membra imperio fruitur, nutuque potenti
  Motus quoſque meos ordinat atque regit.
At corpus vocem undè poteſt audire jubentis?
  Hunc nodum gravis eſt expediiſſe labor.
Cerno inſtrumentum manui parere; ſed ipſam
  Quænam occulta movet cauſa regitque manum?
Quisve rapit, quæſo, celeri vertigine cœlum?
  Angelus hæc forſan corpora vaſta rotat.
In nobis vivit mens, & movet organa noſtra:
  Præcipit, & ſubitò juſſa peracta videt.
Quo pacto? Haud novi; qui veſtigare laborat,
  Numinis in tacito rem legat ille ſinu.
Neſciit, ingenuè ut fatear, Carteſius; illâ
  Ex parte, ut noſmet, cæcus & ipſe fuit.
Iri, ſed hoc novi; mens ex animantibus iſthæc
  Exulat; eſt ſedes ipſius unus homo.
Danda feris ſaltem dos, non ulli indita plantæ,
  Cui reſpirandi vim tamen eſſe patet.
At miro quænam facto reſponſa ferentur,
  Quod narrare tibi noſtra camœna parat?
Quærebant victum mures duo; fortè repertum eſt
  His ovum: exiguis cœna ſat ampla gulis.
Non illis bove opus; jejuni alacreſque parabant
  Mox ovi partem carpere uterque ſuam.

Nunc age, quàm tenui naturâ conſtet imago,
Percipe, *i. e.* cognoſce. *Lucret. lib.* 4. *v.* 110.

178. *Sedes.* Sedes *pro* templo.
Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ. *Virg. Æneid. l.* 5. *v.* 759.

186. *Carpere.*
Grata carpentis thyma. *Hor. l.* 4. *Od.* 2. *de ape.*
—— Aut ſummas carpentem ignaviùs herbas,
Virg. l. 3 *Georg. v.* 465.
Pabulaque in buſtis inſcia carpſit ovis.
Ovid. 4. *Sat. v.* 750.

Quoddam animal, vulpem nempè aſpexêre: ſiniſter
Caſus! quidnam, ovumne rapiatur, agent?
Illud an involvent? Dein verſabuntne, trahentne?
Ambo an utroque vehent anteriore pede?
Ardua res nimiùm & pariter diſcrimine plena:
Ingenium aſperitas præbuit ipſa rei.
Ter centum procul hinc cùm paſſibus helluo abeſſet,
Solertes ambo ſic rediêre domum.
Ore ſupinato jacuit de muribus alter,
Amplexuſque ovum, geſſit utrâque manu.
Hunc caudâ arripuit ſocius, traxitque per agros;
Nec cava fecit humus, nec lapidoſa moram.
I nunc, argutèque mihi ſuadere labora,
Expertes mentis quaſlibet eſſe feras!
Has ego, ceu pueros, donarem munere mentis,
Si penes arbitrium res foret illa meum.
A teneris an quiſque puer non cogitat annis?
Cogitat ergò aliquis neſcius ipſe ſui.
Ob ſimile exemplum, pecudi haud rationis acumen
Quali homines præſtant, ingeniumque darem.
At conceſſum aliquid vellem plus impete cæco,
Spiritus undè omnis, ſenſus & omnis abeſt.
Sic me materiæ partes tenuare juvaret,
Haud animo ut poſſent abſque labore capi;
Non ita parva atomus, quæ lyncea lumina fallit,
Non ita lux tenuis, non ita flamma levis.

---

210. *Capi* pro *intelligi*, *concipi*. In eas imagines mentem intentam infixamque noſtram intelligentiam capere quid ſit Deus, *i. e.* intelligere quid ſit Deus. *Cic. de Nat. Deor.* 49. Quæ tam magna ſunt, ut ea vix cujuſquam mens aut cogitatio capere poſſit. *Idem. pro Marcello.* 6.

Nam ſi flamma oritur ligno, nùm libera fece
Naturam mentis flamma referre nequit?
Nonne è viſceribus plumbi depromitur aurum?
Senſum operi insererem judiciumque meo:
Tam rude judicium, ſemper cujuſlibet exors
Ut ratiocinii ſimia quæque foret.
At nos donáſſem potiori dote: fuiſſet
Theſauro duplici quilibet auctus homo:
Noſtrûm quiſque (animans ac terræ quatenùs hoſpes)
Inſanus, ſapiens, & puer atque ſenex,
Et bardus, naturæ animam communis haberet,
Qualem habet & bipedum quadrupedumque genus.
Suppeteret nobis anima inſuper altera, ſeorſim
Condita & angelicis mentibus æqua propè:
Æthere cœleſtes quondàm inviſura phalanges,
Punctum ingreſſa, tamen non ibi preſſa foret.
Quanquàm habuit primos ortus, hanc nulla maneret
Finis: vera iſthæc cuncta, ſtupenda licèt.
Illa Dei ſoboles, primis extaret in annis,
Ceu tenuis radius lucis, apexque tener.
Materiæ denſas ratio perrumperet umbras,
Firmâſſet ſimul ac organa longa dies.
Semper at in tenebris anima altera merſa jaceret,
Terrenis rebus dedita, manca, rudis.

---

213. *Fece. Fex*, materia craſſior cujuſcumque rei, frequentiùs de vini excremento dicitur.

Hibernis objecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles, & ſine fece diem. *Martial. l.* 8. 14.

221. *Animans*, idem hìc ſignificat, ac animal.

——— Sed hic ſtylus haud petet ultrò
Quemquam animantem. *Horat. l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 39.

FABULA II.

Homo & Coluber.

Vidit homo colubrùm: ſubitò, vah! perdite, dixit,
Rem modò, quam gaudens audiet orbis, agam.
Tunc animal perverſum (hominem non dico, ſed anguem,
Ne falli poſſes, antè monendus eras)
Tunc ſerpens, inquam, ſævo correptus ab hoſte,
Confeſtim ſacci miſſus in ima fuit.
Verùm, quod gravius, morti eſt damnatus acerbæ,
Sive eſſet purus crimine, ſive nocens.
Quanquàm, ut judicio color obtendatur iniquo,
In colubrum iratâ voce perorat homo:
O ſcelus, ingratæ veriſſima mentis imago!
Stultum eſt in pravos pectoris eſſe boni.
Nunc morere ergò. Mihi tua poſthàc ira, ſceleſte,
Non unquàm poterit, densve nocere tuus.
Cordatus ſerpens, hominis quò verba refellat,
Defendit cauſam, quâ valet arte, ſuam.
Damnari ingratos in terris ſi expedit omnes,
Quis, veniam in terris qui mereatur, erit?
Sufficis arma mihi, propriis te vocibus ipſe
Damnas, in temet lumina verte tua.

7. *Morti damnatus.*
—— Morti damnatus ut eſſet.
Lucret. lib. 6. v. 1130.

11. *O ſcelus.* Scelus *pro* ſcelerato.
Ubi illic eſt ſcelus, qui me perdidit.
Terent. Andr. 3. 5. 1.
Hem quid ais, ſcelus? *Ibidem.* 4. 1. 42.

Tu ſuccide meæ quamprimùm ſtamina vitæ;
Hanc eſſe in manibus Dî voluêre tuis.
Jus veſtrum, utilitas eſt veſtra, libido, voluptas;
Me citiùs damna, legibus hiſce potes.
Sed priùs immeritum quàm det tua dextera letho,
Ore ſit ingenuo fas mihi vera loqui.
Falleris, ingratæ veriſſima mentis imago,
Pace tuâ, non eſt anguis, at unus homo.
Talibus auditis, alter conſiſtere primùm:
Retrò uno paſſu deindè referre pedem.
Sic tandem obloquitur: cauſas obtendis inanes;
Judice me, dirimi lis ea poſſet, ait:
Hoc jus quippè meum eſt: optetur at arbiter æquus.
Jam ſit ita, excepit quæ fera reptat humi.
Vaccam conſpexêre, vocant; venit ilicet: illi
Res aperitur. In hoc non labor ullus erat;
Me quianam, inquit, ubi res tam manifeſta, vocaſtis?
Stat jus à colubro: cur ego vera tegam?
Pluribus ex annis homini eſcam præbeo: nulla
Donis abſque meis huic fuit acta dies.
Lac fetuſque mei plenis in tecta reverti
Dant manibus; ruris commoda ſolus habet.

---

22. *In manibus.* Manus interdùm accipitur pro poteſtate, ut cùm dicimus rem aliquam in manu noſtrâ eſſe ſitam.

Satis habet favitorum, qui rectè facit,
Si illis fides eſt, quibus eſt ea res in manu.

Plaut. Amph. Prolog.

Id eſt, Satis habet fautorum, ſi modò fidi ſunt, penes quos eſt ejus rei poteſtas, ſeu quorum eſt magiſtratus & præmia dare.

In manibus veſtris, quantus ſit Cæſar, habetis.

Lucan. lib. 7. v. 253.

Hoc eſt, habetis in poteſtate veſtrâ totum Cæſarem, ejus fortunam, liberalitatem, fidem, virtutem.

Quin & debilibus membris gelidiſque ſenectâ
Amiſſus rediit, me reparante, vigor.
Impigra perpetuis incumbo laboribus, uni
Ut victum aſſiduè deliciaſque parem.
Tandem conſenui. Me negligit omnium egenam,
Jejunæque affert gramina nulla mihi.
Paſcere ſi ſaltem in viridi concederet agro!
Angulo at affixam vincula dura tenent.
Si fuerim colubro famulata, adeòne fuiſſet
Ingratus? Vale, nunc ſat méa ſenſa patent.
Obſtupuit damnatus homo, compellat & anguem:
An vaccæ dictis eſt adhibenda fides?
Deſirat penitùs, mens illam ſana reliquit;
Iſtius arbitrio res dirimenda bovis.
Jam dirimatur, ait coluber. Citò reſque peracta.
Tùm lento accedit bos placidoque gradu.
Ruminat & totam rem volvens atque revolvens,
Has demùm voces protulit ore gravi:
Uſus in ſolos hominum deſudo quotannis,
Quotidie & cogor prægrave ferre jugum.
Percurrenda mihi ſeries immenſa laborum,
In ſeſe, emenſo quæ velut orbe, redit.
Indè renaſcuntur Cereris dona annua, carpunt
Quæ gratìs homines, ſemper emuntque feræ.
Omnibus at nobis quæ merces redditur? Eheu!
Gratia rara, humeris verbera denſa meis.
Ut ſenui, empta cruore meo clementia Divûm
Si fuerit, credunt ſe mihi ferre decus.
Hæc bos; cui minitans homo: præcludamus inepto
Linguam, declamans tædia longa parit.
Magna tumens loquitur; cùm delatoris iniqui
Suſtineat partes, arbiter eſſe nequit.

Ergò bovem ejuro. Fit judex protinùs arbor ;
Objicit multò plura, & acerba magis.
Ne noceant homini ſol, imber, viſque notorum,
Expando denſas hoſpita fida comas.
Hunc quoque ut oblectem, campis ſoleo atque viretis
Addere frondoſo vertice dulce decus.
Non umbras tantùm, ſed victum larga miniſtro :
Curvor ; tot pendent vertice pomâ meo !
Quot tempeſtates toto numerantur in anno,
Sunt homini curis tot benefacta meis.
Flos vere, autumno fructus, datur umbra per æſtum,
Deliciæque foci, cùm tenet arva gelu.
Attamen immiti me rúſtica dextera ferro
Succidit : merces hæc mihi pulchra venit.
Quin ſolos reſecant, intacto corpore, ramos?
Sanè eſſem vivax, vis data tanta mihi.
Cùm ſe convictum causâ cecidiſſe puderet,
Vincere vi ſaltem tendit iniquus homo.
Præbeo cur iſtis, inquit, blateronibus aurem ?
Sum nimis indulgens atque benignus ego.
Finierat : muro ſaccumque impingit & anguem,
Vita infelici dùm ſit adempta feræ.
Iidem ſunt mores, eadem feritaſque potentûm ;
Vim, quâ lædantur, lex rationis habet.
Omne ſibi natum credunt, quod veſcitur aurâ,
Serpentum ac hominum quadrupedumque genus.
Stultus, qui muſſat ; fateor. Verùm ecquid agendum ?
Fare, es quandò procul ; ſi propè es, ora preme.

---

95. *Finierat.*
Finierat Juno. *Ovid Faſt. v. 65.*
Finierat Pœan. *Idem. Metam. 566.*

102. *Ora preme.*
Preſſerat ora Deus, tùm ſic noſtra ora reſolvo.
Idem. L. 1. Faſt. 255.

Id eſt, claude ora *pro* ſile.

FABULA III.

Teſtudo & duæ Anates.

Cauta parùm teſtudo, ſuum & pertæſa cubile,
  Longinquæ ardebat viſere regna plagæ.
Spontè peregrinas patriis præponimus oras:
  Spontè averſatur gens pede clauda domum.
Ergò anati geminæ tandem domiporta retexit
  Quod præclarum agitat pectore conſilium.
Poſſumus hoc, aiunt, bellè complere, quod optas.
  Hancne vides, adeò quæ ſpatioſa, viam?
Aëra per medium nos te vectabimus unà
  Vaſtos in tractus, quos America tenet.
Hîc multas urbes, populos & regna videbis,
  Moribus è variis tu documenta feres.
Fecit idem benè cautus Ulyſſes. Hâc quis Ulyſſem
  Spectandum in ſcenâ, quis, rogo, præſcierat?
Protinùs aſſenſit teſtudo credula dictis;
  Sunt poſt juratam præmia pacta fidem.
Inſtrumentum ales tùm fabricat utraque, poſſit
  Hæc peregrinatrix quo famulante vehi.

---

12. *Feres* pro *reportabis.* Sed reſp. ſi me ſatis noviſſet, & major pars ſenatûs, majores ex me fructus tuliſſet, *hoc eſt*, reportaſſet. *Cic.* 10. *Fam.* 32.

Non tamen è facto fructum tulit ille petitum.
Ovid. 17. *Heroïd.* *v.* 25.

Hoc fructi pro labore ab iis fero, odium.
Terent. Adelph. *v.* 14. 16.

i. e. hunc fructum pro labore ab iis refero, nempe odium.

Ori tranſverſum medio inſeruêre bacillum :
Strictiùs hunc, aiunt, dentibus uſque tene.
Et cave dimittas. Extremis partibus ambæ
Deindè anates baculum corripuêre ſimul.
It geminas inter dùm beſtia tarda volucres,
Ipſiuſque gravi cornea mole domus,
Omnis ad aſpectum plebs obſtupet : undique clamor:
Turba, ô prodigium ! prodigium ! ingeminat.
En teſtudineæ gentis regina, videte,
Aërias nubes pervolat inſtar avis.
Teſtudo vanis tùm laudibus ebria : ſic eſt,
Sum regina : jocis abſtineatis, ait.
Quantò plus ſanæ mentis domiporta fuiſſet,
Pergeret audacem ſi taciturna viam !
Namque relaxato dimiſit ab ore bacillum,
In præcepsque ruit pondere tracta ſuo.
Spectantûm ante pedes infelix rumpitur, eheu !
Diræ cauſa necis mens malè cauta fuit.
È ſtirpe hæc quatuor vulgò naſcuntur eâdem,
Suntque arcto nexu conſociata ſibi.
Garrulitas nimia, effrenis prurigo videndi,
Imprudens animus, laudis ineptus amor.

---

32. *Pergeret viam.* Aliquorum dierum viam in Macedoniam ad Planciumque perrexi. *Cicer. pro Plancio*, 98.

32. *Audacem viam.*
Audacem pennis repperit ille viam. *Ovid. de Dædalo.*

FABULA IV.

Piſces & Phalacrocorax.

Vicinas ſibi vectigal præbere paludes,
Cunctaque cogebat ſtagna phalacrocorax.
Implebatque frequens felicem præda culinam,
At tacito obrepſit tarda ſenecta pede.
Languet avis miſerè, concreſcit frigore ſanguis,
Jamque negat ſolitas macra culina dapes.
Frontis calvæ omnis corvus, quibus indiget, eſcas
Aſſiduè propriâ providet arte ſibi.
Noſtro ſic ætas hebetârat lumina corvo,
Ut minimè fundum cernere poſſet aquæ.
Queis prædas caperet, deeſſent cùm retia, mœſtam
Aſpera paupertas diſcruciabat avem.
Rebus in anguſtis quam ſeſe vertet ad artem?
Præbuit egregiam, docta magiſtra fames.
Sic cancrum alloquitur, quem in ſtagni littore vidit:
Grande mihi arcanum creditum, amice, fuit.
Hunc feſtinus adi populum, fiduſque moneto
Impendere ipſi certa pericla necis.

11. *Deeſſent* In hoc vocabulo duæ vocales à poëtis vulgò contrahuntur in unam ſyllabam.

Deeſt aliquid ſummæ, minui mihi; ſed tibi totum eſt,
Quidquid id eſt. *Perſ. Sat.* 6. *v.* 64.
Deeſt jam terra fugæ: pelago Trojamne petemus?
Virg. l. 10. *Æneid. v.* 378.
Nam ſi Virgilio puer & laudabile deeſſet
Hoſpitium. *Juvenal, Sat.* 7. *v.* 69.

Stagnorum

Stagnorum dominus, poſt luces circiter octo,
  È liquidâ piſces tollere ſede parat.
Maturat cancer rem denarrare : tumultus
  Ingens : accurrunt, conciliumque vocant.
Legati ad volucrem miſſi : clariſſime corve,
  Quis tuus eſt author ? quis monitumve dedit ?
An tibi res conſtat ? dic nobis ; ecquid agendum ?
  Nùm qua tibi urgentis nota medela mali ?
Vos, inquit, mutate lares. Mutare ſed illos
  Quà dabitur ? Vobis cura ſit iſta procul.
Vos omnes portabo meum in penetrale viciſſim ;
  In terris plus eſt abdita nulla domus.
Quæ per multiplices anfractus ducit ad illam,
  Nota Deo & ſoli ſemita nota mihi.
Hìc manibus natura ſuis vivaria fôdit,
  Quò fert nunquàm hominum gens malefida pedem;
Hìc veſtra effugiet dirum reſpublica funus.
  Cuncti pollicitis cæcam habuêre fidem.
Stagnorum cives, roſtro famulante, per auras
  Unum poſt alium devia in antra tulit.
Et catus hìc concludit, ubi perlucida lympha ;
  Sed nimiùm ſedes arcta, profunda parùm.

---

41. *Nutu pro arbitrio, voluntate ſuâ.*

——— Sævæ nutu Junonis eunt res:
Virg. 7. Æneid. v. 592.

Nulla res niſi ad nutum iſtius judicatur. *Cicero. 4. in Verr. 67.*

46. *Bona pars, i. e. magna pars.*

——— Bona pars non ungues ponere curat.
Horat. Art. poët. v. 297.

At bona pars hominum decepta cupidine falſo.
Idem, lib. 2. Sat. 1. v. 61.

Hunc hodie nutuque ſuo, nulloque labore,
Cras illum è medio fonte trahebat avis.
Nunquàm his, qui paſcunt ſe plebis ſanguine, fidas:
Rem damno piſces edidicêre ſuo.
Damnum erat haud ingens; hominum veniſſet in alvum
Pars bona, ſi nullos noſtra voráſſet avis.
Quid refert, utrum humano vel dente lupino
Interimar; venter quiſque perindè mihi eſt.
Unum tolle diem vitæ, ſuperadde vel unum:
Vix differt, adimas adjiciasve mihi.

FABULA V.

Avarus aurum defodiens, & ejus Socius.

Hærebat dubius, poſſent quâ ſede reponi
  (Tantas quæſierat) turpis avarus opes.
Suſpicioſa fames nummi, eſt inſcitia cæca
  Cui ſoror, & nunquàm deſinet eſſe comes,
Mirè ſollicitum noctuque diuque tenebat,
  Credere cui tutum flava metalla foret.
Ille ſuæ dudùm ňam totâ mente petebat
  Cuſtodem gazæ; cauſaque talis erat:
Res præſens movet affectum: meus, inquit, acervus
  Decreſcet ſenſim, ſi retinebo domi.
Auri latro mei fierem. Quid? latro? Sed, ecquis
  Dùm fruitur, ſibi rem ſurripit ipſe ſuam?
O Superi, quantus te faſcinat error! amice,
  Te miſeror: monitu nunc reſipiſce meo.
Nulli ſunt bonæ opes, opibus niſi noverit uti;
  Incipiunt, cùm non utitur, eſſe malæ.
Dic age: nùm ſervare cupis maleſanus in annos,
  Queis uſûs nequeant ullius eſſe tibi?
Aurum omnes jactent; pretium auro tollitur, ingens
  Quòd labor hocce paret, curaque ſervet edax.
Hanc ut vitaret, fidis committere amicis
  Securus poterat, quidquid habebat opum.

---

2. *Quæſierat.* Quærere nonnunquàm ſignificat comparare & acquirere.

Poſt illa cœpit victum vulgò quærere.

Terent. Heaut. 3. 1. 38.

Et meliùs nullâ quæritur arte favor.

Ovid, 2. de Ponto. 9. 40.

Prætulit his terram, ſecum aſſumptoque ſodali,
  Aurum defoſſo ſuppoſuêre ſolo.
At breve poſt tempus, theſaurum inviſere curat;
  Eheu! nil reperit, præter inane cavum.
Perfidiam meritò cùm ſuſpectaret amici,
  Hunc adit, & comis, care ſodalis, ait:
Jam te accinge: mihi nonnulla numiſmata reſtant;
  Primæ quæ maſſæ conſociata volo.
Quos rapuit, terræ feſtinat reddere nummos,
  Majoris latro cæcus amore lucri.
Rursùs, ait ſecum tacitus, tollam omne metallum;
  Nummulus &. deſit qui mihi, nullus erit.
Haud iterùm eſt luſus, jam tùm ſapientior alter,
  Rem totam incluſit continuitque domi.
Jamque frui certum eſt, neque poſthàc aſſibus aſſes
  Addere, vel terrâ condere rursùs opes.
Ad notam infelix latebram cùm latro rediſſet;
  Depoſitum attonitus cernit abeſſe ſuum.
Nutat, penè cadit caſu concuſſus acerbo.
  Fallere fallacem res operoſa parùm.

---

25. *Curat.*

——— Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? *Horat. l. 2. Od. 7.*
Nec vera virtus, cùm ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus. *Idem. l. 3. Od. 5.*

27. *Suſpectaret.* Suſpectare *pro* ſuſpectum habere. Pellit domo Sejanus uxorem Apicatam, ex quâ tres liberos genuerat, ne pellici ſuſpectaretur. *Tacit. lib. 4.*

30. *Primæ.* Primus dicitur etiam ſi de duobus tantùm agatur. Recita mihi, quæſo, primum hunc libellum, deindè alterum hunc libellum Canuleii. *Cicer. in Verrin. 183.*

35. *Jam tùm.*

Jam tùm relligio pavidos terrebat agreſtes.
Virg. Æneid. l. 8 v. 349.

FABULA VI.

Lupus & Paſtores.

Cœperat, in meliùs mutato pectore, mitis
Eſſe lupus, mitis ſi lupus eſſe queat.
Sævierit quoties, ſecum alto corde volutat;
Eſſe trucem, quamvis cogeret una fames.
Me vexant odiis, inquit, lethalibus omnes;
Publicus, heu! toto eſt hoſtis in orbe lupus.
Concordes vitam mihi tollere fuſte coloni
Quærunt, venantes cuſpide, dente canes.
Sæpiùs ingratis horum clamoribus æther
Dùm reſonat, læsâ Juppiter aure dolet.
Proſcripſitque caput noſtrum gens acta furore;
Hinc penitùs vacua eſt Anglia vaſta lupis.
Comarchus minimus, præconis voce, clientes
Noſtram in perniciem ſævus ad arma vocat.
Puſio ſi mœrens auſit clamare, minatur
Protinùs inſtantem mater acerba lupum.
Cur? Quòd rixoſus canis, aut ſcabioſus aſellus,
Aut votum explêrit quòd putris agna meum.
Ergò age: nil vitale meam deſcendat in alvum:
Me leve gramen alat, vel necet atra fames.
Durùm adeone mori? Præſtat totius an orbis
Paſſim urgeri odiis inſidiiſque peti?
Tunc aſſata veru teneri membra aſpicit agni,
Quæ læto paſtor plurimus ore vorat.

13. *Comarchus*, græcè (Κωμαρχος) vici magiſter, ſeu vico præfectus.
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tantâ gloriâ
Quin cadat. *Plaut.* 2. 3. 7.

Oh ! oh ! me veluti fontem mens conſcia torquet ,
  Hâc mihi quòd fuerit fors dape pulſa fames:
En domini atque canes ſe agnino ſanguine paſcunt ;
  Viderim ! egoque lupus relligioſus ero ?
Non ita , per Superos ! fatuus vocer ; ibis in alvum ,
  Agnelle , haud toſtus ſis licèt antè veru :
Tecum ibit pinguis , cujus trahis ubera , mater ;
  Inſuper & genitor , diceris undè ſatus.
Hæc lupus , & meritò , quid enim ? In convivia noſtra
  Quotidiè pecudum vertimus omne genus.
Cogimus & miſeras victu aurea ſecla referre :
  Ollaque nulla ipſis , nullus & uncus erit ?
Sic eſt : paſtores , paſtores , tunc mala tantùm
  Cauſa lupi eſt , quandò viribus ille minor.
Illius è menſâ carnes quid abeſſe jubetis ?
  Vultis eremitæ vivere more lupum ?

---

27. *Agnino.* Agninus adject. quod ex agno aut ad agnum pertinet.

——— Quia pol , quâ operâ ſic credam tibi
Unâ operâ alligem fugitivam canem agninis lactibus.
Plaut. Pſeudol. 1. 3. 84.

30. *Agnelle*, diminut.

Dic igitur me paſſerculum , gallinam , coturnicem ,
Agnellum , hædillum me tuum dic eſſe , vel vitellum.
Plaut. Aſin. act. 3. *ſcen.* 3. *v.* 77.

40. *Eremitæ.* Eremita eſt ille , qui eremum , ceu locum ſolitarium pietatis ergò incolit. Hæc vox reperitur apud ſcriptores eccleſiaſticos , *v. g.* Sidonium.

FABULA VII.

Aranea & Hirundo.

Juppiter ! è cujus cerebro fuit edita, partu
Inſolito, Pallas quondàm inimica mihi ;
Summe parens, juſtis ſaltem ſemel annue votis,
Et facili queſtus excipe mente meos.
Fruſta mihi Progne rapit, illuditque proterva,
Stringit pervolitans aëra, ſtringit aquas :
Invaditque meas audax mea ad oſtia muſcas ;
Muſcas dico meas, dicere faſque mihi eſt.
Retia firma ſatis quæ texo, plena viderem,
Prædæ funeſtâ ni raperentur ave.
Tales ore procax edebat aranea queſtus,
Quæ quondàm artifici pingere nôrat acu ;
Nunc filo textrix ſtudet illaqueare doloſo
Quodlibet inſectum, cui volitare datur.
Germana intereà Philomelæ, avidiſſima prædæ,
Invito muſcas captat araneolo ;
Quas ſibi, quas teneris, heu barbara gaudia ! pullis
Immitem in nidum pabula ferre juvat,
Quæ poſcunt avidi dùm, roſtro ſemper hiante,
Blæſi dimidios dant, pipiendo, ſonos.

10. *Funeſtâ*, ſubauditur præpoſitio *à*, ut apud Sabinum, *Epiſt.* 1, *v.* 59.

Threicio meliùs cecidiſſem milite victus.
Succeſſore novo vincitur omnis amor.
Ovid. Remed. am. v. 462.

20. *Pipiendo.* Pipire proprium eſt vocis pullorum. Dic unde

Cùm miſeranda caput tantùm ſervaſſet arachne,
Atque pedes usûs nullius artifices;
Unam ſpem cœnæ, muſcas dùm captat, in auras
Hoſtili roſtro ſe videt ipſa rapi.
Tranſit hirundo, aufert ſtamen, cum ſtamine prædas,
Et parte ex imâ pendulum araneolum.
Menſas rex Superûm geminas extruxit in orbe,
Quæque ut conditio poſſet habere ſuam.
Ad primam meritò voluit conſidere, quotquot
Inſigni curâ, robore & arte valent:
Exiguos omnes manet altera menſa, priorum
Tantùm ubi relliquias poſſe comeſſe datur.

---

vigeſimo animadvertat an pulli roſtellis ova percuderint & auſcultet ſi pipiant. *Columel. l.* 8. *cap.* 5.

Sunt etiam, qui hoc verbum paſſeribus tribuunt, ut author carminis de Philomelâ.

Peſſimus at paſſer triſtia flendo pipit.

FABULA VIII.

Perdix & Galli.

Dissidia & rixas galli quidam uſque foventes,
Prorsùs inurbanæ ruſticitatis erant.
Degebat perdix domino nutrita jubente,
Has proni ad venerem pectoris inter aves.
Multa ſibi obſequii ſperabat ſigna daturas,
Quæ ſuus & ſexus poſcit & hoſpitium.
Aïebat ſecum tacitè: mihi quidquid honoris
Perſolvetur, honos id quoque chortis erit.
At venerata nihil, roſtris perſæpè cruentis
Externam dominam gens furibunda petit.
Primùm hoſpes fuit ingenti cruciata dolore:
Verùm mœſtitiam mox levat ipſa gravem.
Cùm videt adverſis rabidos luctarier armis,
Inque vicem coſtas perterebrare ſibi;
Hæc illis, ait, eſt innata ferocia: non gens
Incuſanda mihi, ſed miſeranda magis.
Juppiter haud omnes exemplar finxit ad unum;
Indolem habet perdix, gallus habetque ſuam.
Vitam agerem in cœtu plus comi & pacis amico,
Ad nutus regerem ſi mea fata meos.

a. *Prorsùs* pro *omninò*.
Prorsùs jucundè cœnam produximus illam.
Horat. l. 1. *Sat.* 5. *v.* 70.
Sed ceſſo, priùs quàm prorsùs perii, currere
Plaut. Aulul. act 2. *ſcen.* 8. *v.* 27.

Longè aliter chortis domino decernere viſum eſt:
Cannabeis fallax nos capit ille dolis,
Et gallos inter præcisâ vivere pennâ
Nos jubet; in culpâ eſt, herculè, ſolus homo.

Digitized by Google

FABULA IX.

Canis, cui aures amputatæ.

INFELIX, quid ego potui committere tantum,
Me meus ut fœdè ſic mutilaret herus?
Næ mihi jam lepidum caput eſt! auſimne decenter
Me nunc ante alios exhibuiſſe canes.
O vos! ô pecudum reges, quinimò tyranni,
Si probra vos quiſquam cogeret iſta pati!
Ichnobates nuper depulſus lacte moloſſus,
Sic doluit capitis damna pudenda ſui.
Mox illi geminam, haud moti clamoribus altis,
Abſciderant aurem, nil miſerante manu.
Credidit ille gravem jacturam. At tempore novit
Ipſa ſibi in magnum cedere damna lucrum.
Namque ortus de gente ferâ quæ ſpontè minatur,
Atque infert paribus jurgia crebra ſuis,
Hâc parte hinc illinc pertusâ ſæpè rediſſet:
Rixoſus canis eſt auribus uſque lacer.
Si quà te poſſint alieni apprendere dentes,
Vix habeas, meliùs conſulis indè tibi.
Quandò opus eſt unam tantùm defendere partem,
Munitam contra vimque dolumque tenes.

1. *Quid potui, &c.*
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troies potuêre? *Virg. Æneid. l.* 1. *v.* 235.
7. *Ichnobates.* Canis nomen apud Ovidium, *lib.* 3. *Metam.*
Ichnobateſque ſagax.

Ichnobates teſtis, cui circum impervia colla
Torques vulnificis horret acuminibus.
Cùm, ceu nuda manus, canis auribus ille careret;
Nil, foret undè lupis arripiendus, erat.

FABULA X.

Paſtor & Rex.

Dæmonis arbitrio gemini (dùm vivimus) omnes
Subdimur : hinc ratio ſede repulſa ſuâ eſt.
In toto pectus nullum cognovimus orbe,
Quod non, ceu magnum numen, utrumque colat.
Quorum ſi forſan nomenque ſtatumque requiris;
Ambitio hic nobis, ille vocatur amor.
Latiùs ambitio regnat; quin æmula, partem
Occupat imperii, quo dominatur amor.
Rem tibi ritè probem : ſed juſſu regis in aulam
Venerit ut paſtor, commemorare decet.
Eſt ea res noſtro non tempore geſta, ſed illo
Quo laus virtuti major honoſque fuit.
Læta gregem hic princeps tondentem gramina vidit,
Qui vaſtum ex omni parte tegebat agrum;
Qui benè nutritus referebat grande quotannis,
(Tam cuſtodis erat ſedula cura) lucrum.
Impigra paſtoris placuit ſolertia regi;
Eſſe hominum paſtor duxque mereris, ait.
Deinceps (ſic placitum mihi) judex eſto ſupremus;
Ergò lanigeras deſere, amice, tuas.
Deſeruit docilis : qui paſtorale gerebat
Antè pedum, Themidis ſuſtinet ecce libram.

5. *Statum.*
——— Omnis Ariſtippum decuit ſtatus & res.
Horat. l. 1. Epiſt. 17. v. 23.

18. *Eſſe mereris.*
——— Scelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt. *Virg. 2. Æneid. v. 229.*

Quanquàm nil præter monachum cognoverat unum;
Atque canes proprios, & pecus atque lupum.
Sanæ mentis erat: dein cætera ſpontè ſequuntur.
Quid multa? Impoſitum non malè munus obit.
Notus eremita è ſylvis accurrit. Amice,
Sum vigil? aut fingo ſomnia vana mihi?
Tu regi acceptus! tu præſes! fidere regi
Jam caveas: regis lubricus uſque favor.
Decipit, & magno conſtat (quod triſtius) eheu!
Hunc ſolet errorem clara ruina ſequi.
Neſcis illicio quo ſis pellectus. Amico
Pectore te moneo, tu tibi cuncta time.
Alter ſubridet; monachus ſed pergere noſter:
Te minùs ut ſanum jam facit aula, vide.
Mî redit in mentem cæcus, cui fortè flagellum,
Excidit è zonâ, dùm faciebat iter.
Collegit colubrum, brumâ indurante, rigentem,
Atque flagrum lætus credit adeſſe ſibi.
Dîs grates reddit pro munere; quandò viator,
O Superi, exclamat! quid, malè caute, tenes?
Perfidum & exitiale animal citò projice. Tractas
Serpentem. Tactu mî patet eſſe flagrum.
Eſt ſerpens, inquam; me ſic contendere tecum
Quæ ſuadent, quæſo, commoda tanta mihi?
Theſaurum hunc ſervare cupis? Quidni? mihi tritum
Flagrum erat. Ecce bonum ſors mihi læta dedit:
Ut tamen abjiciam me ſic hortaris & urges,
Te quoniam cupidum livor iniquus agit.

---

28. *Somnia.*
——— An qui amant, ſibi ſomnia fingunt.
Virg. 8. *Eglog.* v. 108.

36. *Facit.*
——— Facit ira nocentem
Hunc ſexum, *Juvenal. Sat.* 6. v. 645.

Præcluſit monitis inflecti neſcius aurem
Cæcus; ſtultitiæ mors cita pœna fuit.
Ut fera depulſo revocavit frigore vires,
Dente lacertum hominis vellicat atra ſui.
At tibi pejorem multò prænuntio caſum.
Continget pejus quid mihi, quæſo, nece?
Advenient, inquit monachus, tibi tædia mille.
Vox neque vana; alter tædia mille tulit.
Tartareæ tentant peſtes quibus aula redundat,
Fraudibus ingenuum contemerare decus.
Pectore ſic regis mutato, cœpit haberi
Suſpecta & virtus judicis atque fides.
Conſpirant tacitè, ultricem ſtimulantur ad iram
Quotquot judiciis læſerat ille ſuis.
Innocuo affingunt perjuri crimina; clamant:
Magnificas noſtro condidit ære domos.
Immenſas tot opes voluit cùm cernere princeps,
Nil reperit totâ ni mediocre domo.
Quidquid egeſtatis laus eſt, laus quidquid eremi,
Judicis illud erat copia, luxus, opes.
Dixêre: huic dives, quæ gemmis tota repletur,
Arca ingens, denis & benè clauſa feris.
Ipſe arcam reſerat princeps: ſtupuêre ſceleſti
Fallere qui regem tot ſtuduêre dolis.
Viſum ibi pileolum, panni, opilionis amictus,
Cum perâ atque pedo, credo, cicuta ſimul.
Theſauri ô dulces, cariſſima pignora, dixit!
Queis nunquàm livor falſaque lingua nocent.
Ad vos me refero: regum aurea tecta faceſſant,
Hæc linqui, veluti ſomnia vana, decet.
Sic exclamanti, rex, parce: evectus in altum,
Cœperam ego caſûs præſcius eſſe mei.
Pellexit nimiùm me fulgor honoris: at ullos
Quis non igniculos ambitionis habet?

FABULA XI.

Duo Pſittaci, Rex & ejus Filius.

De dapibus regis, geminus cœnare ſolebat
  Pſittacus, ut perhibent, natus hic, ille pater.
Poſthabitis avibus reliquis, utriſque favebant
  Semidei gemini, natus hic, ille pater.
Hos ætas fidi nexu ſociabat amoris;
  Pectore erat toto junctus uterque parens.
Quanquàm corde leves, natos tamen ambo juvabat
  Eſſe ſcholæ ſocios, inſtituique ſimul.
Illinc pſittaculo multùm accedebat honoris,
  Eſſet quòd genitus rege potente puer.
Sed tali puerum donaverat indole Parca,
  Omnes ut tenerum pectus amaret aves.
Paſſer paſſeribus reliquis plus dignus amari,
  Principis & luſûs pars & amoris erat.
Ut mos eſt pueris, dùm colludebat uterque
  Rivalis, ludus rixa repentè fuit.
Quòd ſervare modum neſciret paſſer, adunco
  Multatus ſocii ſæviter ore fuit.

1. *De dapibus cœnare.*
Obſonat, potat, olet unguenta de meo,
Et ad eam operam facere ſumptum de tuo.
Plaut. Bacchid. act. 1. ſcen. 1. v. 65.

3. *Utriſque.*
——— Orabat ſanus utriſque
Auribus atque oculis. *Horat. l. 2. Sat. 3.*

18. *Sæviter.*
—— Magis cogito, ſæviter blanditerne alloquar.
Plaut. Pſeud. 5. 2. 3.

Olli ſemianimo trahitur vix ala; levari
Poſſe ægrum medicâ quiſque negabat ope.
Pſittaculo princeps vitam, indignatus, ademit;
Nati audit genitor funera acerba ſui.
Exclamat ſenior miſerandus, perfurit exſpes.
Quid juvat? In ventos clamor inanis abit.
Per ſtyga jam volucrem tranſvexit cymba loquacem:
Fallor ego: volucris deſiit eſſe loquax.
Vindex in regis ſobolem pater irruit; impos
Irarum, puero lumen utrumque fodit.
Avolat extemplò: præcelſæ in vertice pini,
Optatum hoſpitium proxima ſilva dedit.
Vindictâ fruitur, tuto ſecurus aſylo,
Geſtit ubi Superûm delituiſſe ſinu.
Huc rex accurrit, blandis & vocibus ipſum
Invitans: ad me, clamat, amice, redi.
Quid nos flere juvat? Linquenda in limine nobis
Omne odium vindex, funereuſque dolor.
Quamlibet indoleam (tibi cogor vera fateri)
Funeris autores primaque cauſa ſumus.
Hancce meus rixam commovit filius: imò
Unica Sors tanti fonſque caputque mali eſt.
Quoſque ſuo eventus quæ Parca volumine ſignat,
Hunc caſum æternis ſcripſerat atra notis:
Nempè tuam tali perituram funere prolem,
Lumina dein nato perfodienda meo.

---

31. *Superûm ſinu.* Pinus vocatur Superûm vel Deorum ſinus, quia hæc arbor erat ſacra Deorum matri, quæ eſt Cybele.

37. *Indoleam.* Quis non indoluerit tam ſerò, quem homines ſecutus eſſet, cognoſcere? *Cic.* 2. *Philipp.* 62.

Indoluit facto.

Ovid. Metam. l. 4. *v.* 173.

Forti animo noſtrum ſuperemus uterque dolorem ;
In caveam propera jam remeare tuam.
Cùm ſis tam graviter , princeps ô maxime , læſus ,
Mene tibi , inquit avis , fidere poſſe putas ?
Incuſas Sortem : ſed quid me ludere quæris ?
Iſta tua inſidias verba profana tegunt.
Provida ſive Dei mens , ſeu lex ferrea Fati
Eventus omnes temperat atque regit ;
Sic cœlo ſcriptum : ſtabo hujus culmine pini ,
Dùm vivam , vel me ſilva profunda teget.
Hìc ſemotus ero fatali ab imagine , juſtum
Undè tibi eſt odium , juſtus & undè furor.
Vindicta eſt dulcis ſervataque regibus eſca ;
Vos quis enim neſcit vivere more Deûm ?
Cœlum teſtaris penitùs te mittere talem
Immemori offenſam pectore ; credo tibi.
Verùm oculis dextræque tuæ ſubdùcar oportet ,
Si cupiam rebus conſuluiſſe meis.
Diſcede. Hìc operam prorsùs , rex , perdis , amice.
Mecum de reditu deſine plura loqui.
Ut ſenſim flammas abſentia tollit amoris ,
Sic odii ſenſim dira venena fugat.

---

63. *Prorsùs* , adverb. *pro* omninò , penitùs.
Sed ceſſo , priuſquàm prorsùs perii , currere.
Plaut. Aulul. act. 2. *ſcen.* 8. *v.* 27.
Prorsùs jucundè cœnam produximus illam.
Horat. l. 1. *Sat.* 5. 70.

65. *Abſentia.* Æquo animo ferre debemus abſentiam. *Seneca ad Lucilium.* Vereor , ne abſentia mea levior ſit apud te. *Cic. l.* 14. *Attic. Epiſt.* 14.

FABULA XII.

Leæna & Urſa.

Perdiderat catulum conjux auguſta leonis,
Venantis laqueo qui modò captus erat.
Horrifico planctu natum miſeranda repoſcit,
Undè fatigatum congemit omne nemus.
Luctiferos nemorum dominæ haud inhibere tumultus
Umbra, quies noctis, deliciæque valent.
Intereà nullas pecudes inviſere Morpheus.
Tunc urſa: unum audi, cara ſodalis, ait.
Pullis dente tuò perpeſſis funus acerbum
Nullus eratne pater, nullave mater erat?
Non ita. Sed noſtram, ſublatâ prole, quietem
Nuſquàm turbarunt; ut ſiluêre, ſile.
Mene ſilere orbam? Periit, mea gaudia, pullus,
Ah! mihi jam debet mœſta ſenecta trahi.

---

4. *Fatigatum.*
Venatu pueri invigilant, ſilvaſque fatigant.
Virg. 9. Æneid. v. 605.

9. *Pullis.* Pulli dicuntur parvi fetus quorumcumque animalium. Aquilæ pullos vocat Plinius, *l.* 10. *cap.* 3.
Equæ pullus. *Lucret. l. 3. v. 763.*
Continuò pecoris generoſi pullus in arvis
Altiùs ingreditur. *Virg. 3. Georg. v. 75. de fetu equæ*
Ranæ pullis. *Horat. lib. 2. Sat. 3. v. 314.*

18. *In ore fuit.*
——— Qui populi ſemper in ore fuit.
Ovid. 4. Triſt. 1. Eleg. v. 68.
Nunc quoque Naſonis nomen in ore tuo eſt.
Idem, in Ponto, l. 3. Epiſt. 6. v. 44.

Te tibi duram adeò quid legem imponere cogit ?
Heu ! vis Fatorum ſemper iniqua mihi.
Ad vos, ô miſeri mortales, fabula ſpectat.
Omni vox eadem ſemper in ore fuit.
Ferre mihi quàcumque lubet veſtigia, paſſim
Aures obtundit vana querela meas.
Qui cœlum in ſimili caſu tibi credis iniquum,
Specta Hecubam, grates tu refereſque Deis.

21, *Caſu*, caſus *pro* infortunio.
——— Dii, talem avertite caſum.
Virg. Æneid. l. 3. *v.* 255.
Id eſt, avertite tale infortunium.

FABULA XIII.

Duo viri fortunam appetentes, & Lapillus fatidicus.

Ad ſummos nunquàm via florida ducit honores.
  Comprobat hoc virtus Herculis atque labor.
Fabellæ paucos memorant, faſti propè nullum,
  Quas Deus hic tenuit primus, inîſſe vias.
En tamen unus adeſt. Fortunæ ut dona faventis
  Quæreret, in fictas ſe tulit ille plagas.
Talem fatidici mentem injecere lapilli.
  Unà fecit idem fidus amicus iter.
Invenêre ambo palum, cui vertice in alto
  Subjectis inerat ſcripta tabella notis :
Strenue vir Fortunæ inhians, ſi quæ vagus antè
  Nullus vidit eques, fortè videre cupis,
Hunc tranſna torrentem, elephas dein ſaxeus, à te
  In mediâ fuſus repperietur humo.
Hunc tolle, atque uno ſer ductu montis ad hujus
  Culmina, qui minitans tollit ad aſtra caput.
Abnegat atque animis eques alter deficit : unda
  Fors nimis eſt præceps, dixit, & alta nimis.

4. *Inîſſe vias.*
Quid faciam ? Mediâ navim Palinurus in undâ
  Deſerit. Ignotas cogor inire vias.
Ovid. Remed. amor. v. 578.

10. *Subjectis*, i. e. *ſequentibus.*
Habent inſidias hominis blanditiæ mali,
Quas ut vitemus, verſus ſubjecti monent.
Phædr. l. 1. Fab. 19.
Verſus ſubjecti, hoc eſt, verſus immediatè ſequentes.

Eſto, pervia ſit; quid coner ferre elephantum?
  Nonne foret ſtultus ridiculuſque labor?
Hunc ſapiens tali formâ & fabricaverit arte,
  Paſſibus ut quatuor fortè feratur onus:
Aſt uno tractu ferre ad faſtigia montis,
  Humanas vires vinceret illud opus;
Hæc niſi pigmæi ſit abortivique figura,
  Quam ſummâ in baculi figere parte queas.
Aſt ita mole brevi, facto quid laudis in illo?
  Sanè aliquam fraudem ludicra verba tegunt.
Confictum, reor, eſt fallendo enigma puello.
  Ergò jam valeas tuque elephaſque tuus.
Ut ceſſit ſophus, in medias tùm ſtrenuus alter,
  Luminibus clauſis, deſilit actus aquas.
Non violenta virum, non unda profunda moratur,
  Tranſiit & manuum remigioque pedum.
Quod monitus tabulâ eſt, elephantum in littore cernit;
  Corripit hunc, aufert, ad juga ſumma venit.
Planitiem æquatam ſubit, atque adventat in arcem;
  Tùm clamore elephas aſtra repentè ferit.
Plebs armata ruit portis, reſonante tumultu;
  Fugiſſet ſubitò quilibet alter eques.
Vir non terga dedit, magno ſed vendere vitam
  Et forti heroas morte referre parat.
At quantùm obſtupuit! ſubitò acclamante catervâ:
  Rex obiit noſter, nos tibi ſceptra damus.
Abnuit, urgendus precibus, queis vincitur ultrò;
  Accipio, quamvis ſit grave, dixit, onus.

---

33. *Violenta.*
In mare purpureum violentior influit amnis.
Virg. 4. Georg. v. 373.

Sixtus idem aiebat ſanctâ mox ſede locandus,
(Regis vel papæ ſors adeòne mala eſt ?)
Paulò poſt patuit ſincerâ haud mente locutum.
Audaci cæco ſors quoque cæca favet.
Quandòque exequitur ſapiens feliciùs antè
Quàm mens cauta libret, quæ facienda ſibi.

FABULA XIV.

Cuniculi.

AD D. DUCEM DE LA ROCHEFOUCAULT.

PERPENDENS hominum mores, quos ſæpè videbam
Mutarum pecudum moribus eſſe pares,
Rex orbis, dixi, vitiis urgetur iiſdem,
Ac pecora, in quæ jus imperiumque tenet.
Ingenita in quovis cerebro ſunt granula maſſæ,
Quæ ſua ſuppeditat pabula ſpiritibus,
(Hi ſunt materiæ è tenuatis partibus hauſti)
Propoſitum evincit ſic mea muſa ſuum.
Opportuna feras captandi vênit ut hora,
Seu ſol occiduis lumina mergit aquis,
Seu paret emergens curſus iterare diurnos,
Cùm nox jam ceſſit, nec tamen orta dies;
Tùm tacito aſcenſu repto ad faſtigia quercûs,
Quæ, ſilvæ extremo limite, opaca viret.
Ex illo, irati tùm more Tonantis, Olympo
Lethiferum fulmen vibro, rubente manu.

5. *Ingenita in.*
——— Ingenitæ ſtat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus hora.
Lucan. ad Piſonem. 92.

16. *Rubente manu.*
——— Et rubente
Dexterâ ſacras jaculatus arces.
Horat. l. 1. Od. 2. de Jove fulmen vibrante
Id eſt, dexterâ rubentibus fulminibus armatâ.

Concidit

Concidit actutùm fervente cuniculus igne,
Dùm vitæ metuit nulla pericla ſuæ.
Saltabant hujus ſocii in florente myricâ,
Queis ſubrecta auris, queis oculuſque vigil;
Depaſtâque herbâ genium curare juvabat,
Et thymo olente ſuas exhilarare dapes.
Tota cohors audit ſtrepitum, ſeſe acta timore
Proripit, atque cavâ condit in arce caput.
Sed citò deletur cerebro è leviore periclum,
Tamque gravis terror pectore totus abit.
Plus alacrem turbam colludere rursùs eamdem
Conſpicio, inque meas penè venire manus.
Quàm bellè hîc hominum depicta affulget imago,
Ut quaſſas ſparſit ſæva procella rates!
Vix portum tangunt, îſdem ſe credere ventis,
Iſdem ſe properant credere rursùs aquis.

---

21. *Juvabat.* Juvat imperſonale, *i. e.* delectat.
——— Juvat evaſiſſe tot urbes.
Virg. l. 3. *Æneid. v.* 56.
——— Juvat indulgere labori.
Idem. l. 6. *v.* 135.

Id eſt, gratum eſt, jucundum.

25. *Deletur è.*
——— Deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Terent. Eunuch. act. 2. *ſcen.* 3. *v* 4.

27. *Plus* pro *magis.*
——— Plus lædunt, quàm juvat una, duæ.
Ovid. Faſt. 6. *v.* 100.

31. *Tangunt portum.*
——— Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt.
Virg. 4. *Æneid. v.* 212.

Quemlibet, immemori ceu mente cuniculus eſſet,
  In ſortis videas ſpontè redire manus.
Hoc ſatis exemplum eſt, aliud tamen inſuper addam,
  Quod propè dat nobis quæque videre dies.
Adveniat caſu canis exterus unus & alter
  In pagum, diſtat patrius undè focus:
Proh! quantis reſonant tùm bacchanalibus auræ!
  Indigenæ accurrunt, invida turba, canes.
Hoſce peregrinos crebris latratibus urget,
  Vulnifico & morſu tota caterva fugat,
Nataliſque ſoli fines comitatur ad ipſos.
  Quæ cauſa? Utilitas ſcilicet una gulæ.
Quidam & idem faciunt, queis regum gratia cordi eſt,
  Aut quibus imperii credita cura fuit.
Omni è conditione viris mentem injicit iſtam
  Et fortunarum gloriolæque fames.
Advena ſi quis adeſt, hunc noſtrûm quiſque laceſſit,
  Dente truci mordet, dilaceratque probris.
Ægrotat morbo penè omnis ſcriptor eodem;
  Qui ſcriptor novus eſt, ô mala quanta manent!
Quàm plures valeas à dulci avertere prædâ,
  Hoc ludi jus eſt, ſumma caputque rei.
Exemplis centum hæc poſſit ſententia niti;
  Aſt ea ſcripta magis quæ breviora placent.
Materies quamvis ſit multa, relinquere præſtat
  Quod lector curâ detegat ipſe ſuâ.

---

48. *Gloriolæ.* Et noſmetipſi vivi gloriolâ noſtrâ perfruamur. *Cic.* 5. *Fam.* 12.

64. *Laudis honos.*

——— Tribuam tibi thuris honorem.
Ovid. Metam. l. 14. *v.* 128.

Rem docet atque facit catus artis quiſque magiſter :
Hinc finem ſermo debet habere meus.
O cui ſummus honos & ſumma modeſtia, cujus
Eſt totum, hi verſus utile quiquid habent,
Quique verecundo ſuffunderis ora pudore,
Debitus offertur cùm tibi laudis honos !
Qui vix concedis (quod fas æquumque repoſcunt)
Ut celebret nomen pagina noſtra tuum;
Nomen, per quod ego morſum cenſoris iniqui
Effugiam, atque meum tempora vincet opus:
Nomen quod nôrunt populi, canet omnis & ætas;
Quo ſibi grande parit Gallia tota decus.
Gallia, quæ reliquis orbis plus partibus una,
Militiæ atque domi nomina clara tulit;
Saltem, pace tuâ, totum vulgabo per orbem
Hujus materiem carminis eſſe tuam.

FABULA XV.

Mercator, Vir Nobilis, Paſtor & Regis Filius.

QUATTUOR unanimes, hic regis filius, ille
Mercator, paſtor tertius, alter eques,
Quærendo variis peregrinum curſibus orbem,
Belliſare, tuas, heu! ſubiêre vices.
Undarum furiis elapſos dura coegit
Paupertas, nudos penè, rogare ſtipem.
Quânam ſorte, licèt vario ſub ſidere natos,
Jungi contigerit, longa referre mora eſt.
Sedêrunt tandem muſcoſam fontis ad oram,
Conſiliumque inopes hîc habuêre viri.
Tùm princeps fusè caſus narrare potentûm.
Mittite nos tulimus quæ mala, paſtor ait.
Mentem acuat, communi operam det quiſque ſaluti;
Queſtus an humanis eſt medicina malis?
Aggrediamur opus; dabit æs induſtria nobis,
Noſtrum urbem ad dominam quò peragatur iter.
Paſtorem iſta loqui! paſtorem! vimne putatis
Judicii ſolis regibus eſſe datam,

2. *Eques.* Eques apud latinos ſæpè eum ſignificat, qui eſt equeſtris ordinis.

Care Mœcenas eques.

Horat. lib. 1. *Od.* 20.

10. *Conſilium habuêre*

Conſilium ſummis regni de rebus habebant.

Virg. 9. *Æneid.* v. 227.

Omnique anguſtam mentem ingeniumque retuſum
Paſtori, ſtolidæ, quam regit, inſtar ovis ?
Iſtius extemplò placuit ſententia ternis,
Quorum Indo puppes deperière mari.
Mercator certam numerandi noverat artem ;
Hujus, ait, rudibus cras documenta dabo.
Per menſem nummi tot nobis indè redibunt.
Filius at regis talia dicta refert:
Monſtrabo quânam populi ſint arte regendi.
Nobilium, inquit eques, cognita ſcuta mihi ;
Illa docebo. Quaſi vano gens Indica faſtu,
Frivola ſcutorum diſcere ſigna velit !
Hæc benè, paſtor ait ; verùm reputetis, amici,
Ter denos menſi cuilibet eſſe dies :
An, dùm labentur, jejunia longa feremus ?
Spem datis egregiam, ſed nimis illa procul.
Eſcas intereà poſcit mihi venter inanis ;
Craſtina quis noſtrûm prandia ſufficiet ?
Imò quæ nobis hodiernæ pignora cœnæ ?
Hanc, alias omnes ante, parare decet.
Certè hìc deſtituit vos veſtra peritia ; at illam
Supplebit, quanquàm ruſtica, noſtra manus.
Deindè petit ſilvam paſtor. Ramalia multa
Impiger abſcindit, faſciculoſque ligat ;
Impoſitos humeris venales portat in urbem,
Inque duos victum comparat indè dies.
Sic vetat, in Stygiis ne tandem hos ſedibus artem
Exercere ſuam cogat iniqua fames.

---

19. *Anguſtam mentem.* Animi anguſti & parvi eſt, amare divitias. *Cic.* 1. *Offic.* 68.

Ingenii haud tantùm, docet hæc fabella requiri,
Provideat vitæ quò benè quiſque ſuæ.
Quatumvis dotes naturæ & munera proſint,
Plus tutam dat opem, plus celeremque manus.

Finis Libri decimi.



SELECTÆ FONTANII FABULÆ.

LIBER UNDECIMUS.

FABULA PRIMA.

Leo.

Rex latè, ut perhibent, quondàm leopardus habebat
  Innumerum in pratis, ſorte favente, bovem.
In ſilvis vaſto permultos corpore cervos ;
  Paſſim balantûm, læta per arva, greges.
Vicino eſt ſaltu leo natus, honoris uterque
  (Regum more) ſibi mutua ſigna dedit.

2. *Innumerum.*
Cinctus ab innumero me tenet hoſte locus.
Ovid. Triſt. l. 5. Eleg. 12. *v.* 20.

A pardo accitur prudens rerum, atque recocta
Vulpes, imperii prima miniſtra ſui.
Te vicinus, ait, terrore leunculus implet,
Patre ſed extincto, quid, precor, ille poteſt?
Imò pupilli ſortem miſerare dolendam,
Plurima cui res eſt expedienda domi.
Nedùm aliena armis invadere tentet iniquis,
Næ, fato grates, ſi ſua ſervat, aget.
Illa caput quaſſans: nequeo miſereſcere talis
Pupilli; iſtius ſed retinendus amor,
Aut furtim imbelli mors acceleranda, priuſquàm
Lædere nos valido dente vel ungue queat.
Tolle moram: adverti, fuerit quo fidere natus;
Sanguinea impavido creſcere bella dabunt.
Qui majore ſuos fidus tutetur amicos
Affectu, toto non erit orbe leo.
Ergò hujus vires ſenſim attenuare memento,
Aut illum meritis conciliare tibi.
Sermo nihil valuit: regem tunc ſomnus habebat,
Et pecus atque viros, quà ſua regna patent.
Fit leo, qui fuerat tenet antè leunculus; ecce
Hunc contra, turbas buccina ad arma vocat.

---

7. *Rerum prudens*, i. e. *ſagax in rebus proſpiciendis, in tractandis negotiis.*

Rerumque prudens & ſecundis
Temporibus, dubiiſque rectus. *Horat. l. 4. Od. 9. v. 39.*

7. *Recocta.* Propriè recoctum dicitur ferrum quod ſæpiùs igne admotum & incudi redditum eſt. Transfertur eadem vox ad ſignificandos homines, qui longo rerum uſu & diuturnâ experientiâ occaluere ad artes veteratorias. Horatius eâ voce utitur. *lib. 2. Sat. 5. v. 55.*

——— Plerumque recoctus
Scriba ex quinque viro corvum deludet hiantem.

Et loca quæque tremor circumvolat; ergò miniſtram
  Curritur ad vulpem, conſiliumque rogant.
Suſpirans: cur vos hoſtilem incenditis iram?
  Nulla, inquit, ſupereſt jam medicina malo.
Nequicquàm auxilio plebes numeroſa vocatur;
  Hoc major ſumptus, quo magis aucta cohors.
Mî cenſetur oves tantùm conſumere nata:
  Flectatur precibus muneribuſque leo.
Viribus hic ſocios unus ſupereminet omnes,
  Aſſiduum præbent queis bona noſtra cibum.
Adſunt huic ſocii triplices, ſumptu ſine: robur
  Prævalidum, virtus martia, cura vigil.
Huic tu promptus ovem placando immitte ſub ungues,
  Junge alias, ſi non eſt ovis una ſatis.
Adde bovem, reliquis pingui qui corpore præſtet,
  His fac muneribus cætera ſalva tibi.
Conſilium haud placuit: retrò res indè referri;
  Atque premi gravibus proxima regna malis.
Indè lucrum nulli: cunctis diſpendia: fruſtrà
  Obſiſtunt: victor quem timuêre, fuit.
Creſcere ſi ſenſim tenerum patiare leonem,
  Officiis illum demereare tuis.

FABULA II.

Villicus, Canis & Vulpes.

Mirum, quàm metuenda lupi aut vicinia vulpis!
Neutrius eſſe velim proxima tecta meis.
Divitis agricolæ gallinis tendere vulpes
Inſtabat tacitos, nocte dieque, dolos.
Ante alias quamvis longè verſatior omnes
Alitem erat nullam ſurripuiſſe potis.
Angitur haud leviter, nimio hinc detenta periclo,
Miris indè modis exſtimulata fame.
Siccine nos impunè, ait, hæc plebecula ludat?
Per varias curro, ſæpè recurro vias:
Torqueor infelix, verſo me mille per artes;
Securus remanet ruſticus iſte domi.
Vertit in æs præſens quoties libet, omnia, capos,
Gallinas, quotquot villa ſaginat aves.
Quin pinguem appenſas plures ſibi ſervat ad uncum:
At mihi quid lucri, docta magiſtra paro?
Annoſum potui ſi fors apprendere gallum;
Gaudeo, fit tanquàm regia cœna mihi.
Cur ad vulpinam finxit me Juppiter artem?
Juro Styga atque Polum: me modò fama canet.

11. *Verſo me.* Verſat ſe, quærit quid agat. *Cic.* 3. *Verrin.* 133. Itaque æſtuabat, dubitatione verſabat ſe in utramque partem. *Idem.* 4. *Verrin.* 74

——— Verſat in omnia vultus.
Ovid 3. *Triſt. Eleg.* 9. *v.* 21.

20. *Juro Styga atque Polum*

——— Maria aſpera juro. *Virg.* 6. *Æneid.* *v.* 351.
Cocyti ſtagna alta vides Stygiamque paludem. *Idem.* *v.* 24.

Hæc meditans, noctem ſolers delêgit amicam,
Quâ largè ſparſum nocte papaver erat.
Pullos, gallinas, capos ſopor altus habebat,
Stertebant famuli, villicus, ipſe canis.
Villicus imprudens (inſignis culpa) patere
Tùm gallinarî limina paſſus erat.
Tot varios circùm prædatrix conficit orbes,
Ut ſedes penetret, quas ſpeculata diù.
Inſilit in cives, totam implet cædibus arcem,
Signaque ſævitiæ detegit orta dies.
Fuſa catervatim ſpectantur corpora: Titan
Horret, ad oceanum penè reflectit equos.
Talis erat Phœbus, vindex fera quandò ſuperbi
Atridæ implevit caſtra cadaveribus.
Extitit ex acie danaûm propè nemo ſuperſtes;
Hoc fuit unius flebile noctis opus.

---

25. *Inſignis culpa.* Improbitas inſignis. *Cic.* 2. *de Orat.*
——— Pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis. *Lucret. lib.* 3. *v.* 1027.

45. *Sacrum.* Vox ſacer ſæpè idem valet ac abominandus, execrandus. Hæc vox ducta eſt ab iis qui ſacrabantur morti pro publicis delictis; ſic devovebatur apud Maſſilienſes aliquis pauper ſæviente fame: ſic Curtius & Decius apud romanos ſe devovêrunt: ſic etiam omnis victima immolatur quaſi onuſta populi totius delictis; ex quo quivis malus & improbus ſacer dictus.
——— Uter ædilis fuerit, vel
Veſtrûm prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.
Hor. l. 2. *Sat.* 3. *v.* 182.
——— Ego ſum malus.
Ego ſum ſacer, ſceleſtus *Plaut. Bachid.* 4. 6. 14.

45. *Aptum demergier.* Aptus cum infinitivo.
——— Dux fieri quilibet aptus erit. *Ovid.* 2. *Faſt. v.* 200.
Silvaque montanas occulere apta feras. *Ibidem. v.* 216.

45. *Demergier undis.*
Nec me Deus æquore merſit.
Virg. 6. *Æneid. v.* 348.

Talis & ipſe Ajax ſua cùm tentoria circum
Tot frendens hircos, tot jugulavit oves:
Cùm ſe crediderit dare letho Ithacumque duceſque,
Per quos rivalis præmia iniqua tulit.
Ajacem referens avium tot funere, vulpes,
Quæ poterat, rapuit, cætera liquit humi.
Nil domino reliquum, niſi (quod mos ſuadet & ira)
Ut probris famulos obruat atque canem.
Sacrum, aptumque animal tantùm demergier undis!
Nonne tuum, exortâ cæde, monere fuit?
Ecquid conquereris? Cædem quin ipſe cavebas?
Hanc ita vitaſſes & breviore viâ.
Si tu, ſi dominus, res ad quem pertinet unum,
Dormis, haud curans claudier antè fores;
Vis, ut ego canis, hæc cui res aliena, ſoporem
Gratìs amittam, dulcia dona, meum?
Vera quidem dixit canis; hæc reſponſa dediſſet
Si quis herus, magni ponderis illa forent:
At nihil, ore canis tantùm prolata, valebant;
Mancipii miſeri tergora cæſa flagris.
Ergò pater, quicumque domûs moderamen habebis,
(Livore hic nullo me tuus urit honos)
Cùm dormis, oculo alterius ne fide, cubato
Ultimus, & prudens oſtia clauſa vide.
Si quid momenti gravis eſt tibi munus agendum,
Ne committe aliis, ipſe ſed illud obi.

FABULA III.

Somnium Mogoli.

Quidam olim mogolus, ſomno cùm membra levaret,
Eſt ſibi in elyſiis viſus adeſſe plagis,
Atque hîc imperii magnum ſpectare miniſtrum,
Quem plenè ac ſemper gaudia pura beant.
Idem & eremitam ſemotâ aſpexit in orâ,
Tales qui pœnas merſus in igne dabat,
Illius ipſa vicem ut miſerorum turba doleret;
Res præter ſolitum miraque viſa fuit.
Quæſitor Minos erraſſe in utroque putetur,
Alterum & alterius ſuppoſuiſſe loco.
Evolat excuſſus ſubitò de pectore ſomnus;
Tantus habet mogoli territa corda ſtupor.
Somnio in inſolito conjectans vera latere,
Quemdam ſcitatur, viſa quid iſta velint.
Retulit interpres : mirari deſine; certè
Arcanos ſenſus talis imago tegit.
Uſu ſi paulùm didici quid ſomnia celent,
Utile Dî monitum, credo, dedêre tibi.
Dùm coleret terras, placidis pius ille miniſter
In ſilvis, mundi transfuga ſæpè fuit.

17. *Celent.* Celare *pro* tegere, occultare.
Hic quos durus amor crudeli tabe perêdit
Secreti celant calles. *Virg. 6. Æneid. v.* 443.
——— Ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.
Horat. l. 2. Sat. 8. v. 74.

Ambibat monachus, ſilvis perſæpè relictis,
Corda miniſtrorum conciliare ſibi.
Addere ſi quidquam verbis interpretis auſim,
Seceſsûs cunctis injiciatur amor.
Abſque labore ſuis offert receſſus amicis
Gaudia ſpontè animis obvia dona Deûm.
O latebræ, quarum tacitâ dulcedine tangor!
O loca præ reliquis ſemper amata mihi!
Non erit, ut quondàm à ſtrepitu ſemotus, amœno
Frigore ſilvarum deliciiſque fruar?
O mihi quis placidos det tandem habitare receſſus,
Otia & in veſtro carpere blanda ſinu!
Aulâ quandò procul, quandò procul urbe, laborem
Impendam Muſis, tempus & omne meum?
Contendamque poli varios ediſcere motus,
Cernere quos hominum lumina nulla valent;
Nominaque aſtrorum & virtutes noſcere, per quæ
Diſſimiles fatis, moribus atque ſumus?
Si tenui ingenio vetor huc aſſurgere, ſaltem
Adſit rivorum dulcis imago mihi!
Florida carminibus deſcribam littora! Parcæ
Non vitæ intexent aurea fila meæ.
Dormire haud dabitur mihi ſub laquearibus aureis;
At pretium amittit ſomnus an indè ſuum?

---

27. *Latebræ* vocari ſolent omnia loca, in quibus latitare poſſumus.

Horat. *l.* 1. *Epiſt.* 16. *v.* 15. *loquens de ſuâ villâ.*

Hæ latebræ dulces, etiam, ſi credis, amœnæ
Incolumem tibi me præſtent ſeptembribus horis.

An minor indè quies, minor & dulcedo ſopori ?
Huic voveo in ſolis jam nova ſacra locis.
Tandem aditurus avos curarum vixero liber,
Nullius & ſceleris conſcius emoriar.

---

46. *Solis locis.* Loca ſola *pro* ſolitudine. Cùm in locis ſolis mœſtus errares. *Cic. de Divin.* 59.

Venit meditatus aliundè ex loco ſolo.
Terent. Andr. 2. 4. 3.

I. e. deſerto, ut ait Donatus.

Aſpicit aſperſas per loca ſola caſas.
Ovid. l. 1. *Faſt. v.* 502.

Tu facis, ut ſilvas, ut amem loca ſola, meoque.
Idem. 7. *Metam.* 819.

FABULA IV.

Leo, Simius & duo Aſini.

Cordatus voluit leo morum ediſcere leges ;
  Ritè regi imperium poſſet ut indè ſuum.
Simium & accivit, cui nempè, doceret ut artes,
  Gens pecudum dederat jura magiſterii.
Hanc legem ante alias præceptor tradere cœpit:
  Maxime rex, princeps ut benè regnet, ait,
Affectum quemdam (ſolet ille philautia dici)
  Communi debet poſthabuiſſe bono.
Eſt ille affectus vitiorum fonſque caputque,
  Queis animal vulgò cernimus omne premi.
Non talem una dies penitùs tibi vellat amorem,
  Cui multùm eſt aliquem ponere poſſe modum.
Si facias, auguſta in ſe patietur iniquum
  Nil tua majeſtas, ridiculumque nihil.
Rex ait : exemplis, vellem, mihi utrumque probares.
  Exempla omne genus dat tibi, doctor ait.
Ordior à noſtris : quamcumque exerceat artem
  Miratur quivis, egregiamque putat ;
Ars quibus eſt diverſa, rudes & dicit ineptos,
  In buccam veniunt quæ probra ſpontè, jacit ;
Plenus amore ſuî, ſimiles ſibi tollit ad aſtra,
  Multò dexteriùs præco fit undè ſuî.
Ex ſuprà dictis, hæc aptè colligo : quidquid
  Multi dotis habent, eſt ſibi turba favens,

23. *Suprà dictis.*
Adde ſuprà dictis quod non.
Horat. l. 2. Sat. 7. v. 52.

Eſt ars jactandi ſeſe, ars ignota peritis,
Nota ſed ignaris, nil niſi larva mera eſt.
Fors aſinos duo ponè ſequens, qui mutua thura ;
Laude ſibi alternâ, (mos viget ille) dabant.
Præbebam inſulſis amborum vocibus aurem,
Alter cùm ſocio talia verba daret.
Sit quamvis animal perfectum, nonne videtur,
Princeps celſe, tibi ſtultus, iniquus, homo ?
Auguſtum nomen noſtrum ille profanat, aſellos
Dùm vocat ignaros quoſlibet atque rudes.
Multa in ſermonem noſtrum riſumque jocatur :
Rudere nos (alter vocis abuſus) ait.
Qui certant homines ſeſe præponere nobis,
Ædepol, egregium ſunt lepidumque genus !

---

24. *Dos*, propriè pecunia dicitur quæ marito datur ab uxore ; tranſlatè quidquid homini datum eſt à naturâ.

27. *Duo* pro *duos*.

Si duo prætereà tales Idæa tuliſſet.

Virg. Æneid. l. 11. *v.* 285.

33. *Profanat.* Profanare eſt aliquid ex ſacro facere profanum.

Pone Deos, & quæ tangendo ſacra profanas.

Ovid. 7. *Heroïd. v.* 129.

Urget opus, ſpernitque Deum, feſtumque profanat.

Ovid. 4. *Metam. v.* 390.

36. *Rudere.* Prima ſyllaba hujus verbi eſt ad libitum longa aut brevis.

Findor; ut, Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Perſ. 3. *Sat. v.* 9.

Intempeſtivo cum rudit ille ſono.

Ovid. 6. *Faſt. v.* 342.

Errant, longè errant. Sed te, doctiſſime, fari,
Horum oratores uſque ſilere decet.
En, en qui rudunt. Super his ne plura loquamur;
Ut mea ſenſa tibi, ſic tua nota mihi.
Hoc ſatis, at taceamne tuæ miracula vocis?
Aures divino carmine blanda tenet.
Ignara eſt artis, præ te Philomela, canendi;
Amphion modulis cedit & ipſe tuis.
Dotes, alter ait, domine, in te miror eaſdem.
Sic gemini egregiis ſe cecinêre modis.
Nec ſat: circumeunt pagos atque oppida paſſim,
Laudibus inque vicem ſe ſuper aſtra ferunt.
Nempè ſuos jactando pares, ſapere ambo putabant,
Ad ſe omnis fuerit ceu rediturus honos.
Hoc novi plures ævo non inter aſellos,
Sed primos inter, nomina magna, viros
Arbitra quos noſtræ divina potentia ſortis
Claravit poſitos editiore gradu;
Qui non, excelſos, ſed reges quiſque viciſſim
Se vocitent, obſtet ni pudor atque metus.

---

39. *Errant* pro *falluntur.*
Et errat longè meâ quidem ſententiâ,
Qui imperium credat gravius eſſe aut ſtabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adjungitur.
Terent. Adelph. 1. 1. 4.

Vellem in amicitiâ ſic erraremus, & iſti
Errori virtus nomen poſuiſſet honeſtum. *Hor. l.* 1. *Sat.* 3.

48. *Cecinêre.* Canere aliquem eſt ejus laudes celebrare.
Ibant æquati numero, regemque canebant.
Virg. 7. *Æneid. v.* 698.

52. *Rediturus.* Nihil ad me rediit ex his. *Cic.* 2. *de Finib.* 78.
I. e. Nullum ex his percipio commodum.
Ad te redit hereditas. *Terent. Hec.* 1. 2. 97.

Majeſtate tuâ coram fors profero plura
  Quàm decet : arcanum ſed, reor, illa teget.
Oſtenſum exemplo tibi, rex permagne, volebas
  Ridiculus quivis quàm ſit amore ſui ;
Quàm ſit & injuſtus, poſt evincetur : in illo
  Inſumi debet longior hora mihi.
Simius hæc : latet at nobis partemne ſecundam
  Tractârit, pars eſt lubrica nempè nimis.
Noverat & noſter doctor non mentis ineptæ,
  Terrificus princeps quàm foret iſte leo.

---

65. *Latet at nobis.* Latere aliquandò cum dativo jungitur.
 ——— Tu mihi ſemper
Ut Superi voluere late. *Lucan. l.* 1. *v.* 419.

FABULA V.

Lupus & Vulpes.

At cur Æſopo cenſetur judice vulpes
Artibus atque dolis vincere quaſque feras?
Perquiro magno mentis molimine cauſam,
Et curis nondùm cauſa reperta meis.
Quandò neceſſe lupo eſt propriam defendere vitam,
Aut jugulare alios, nùm minùs ille vafer?
Quin hunc crediderim vafrum magis eſſe: magiſtro
Diſſentire meo, non ſine jure, queam.
Ecce tamen factum, quo ſub tellure cavati
Incola cauta laris, rettulit omne decus.
Sub noctem, fundum putei cùm cerneret imum,
Huic lunæ effigiem pura reflexit aqua.
Albam vidit ubi vulpes faciem atque rotundam,
Caſeus huic amplus viſus adeſſe fuit.
Extabat duplex ſitula, hauſtum è fonte liquorem
Uſque per alternas tollere prompta vices.
Extremâ acta fame vulpes ſeſe aptat in urnâ,
Altè ſuſpenſam quam tenet urna comes.
Vix fera demiſſa: errorem deponit, & hæret,
Exitium propius cernit ut eſſe ſuum.
Nam quî ſe ſurſùm referat, niſi venerit alter,
Æquè diſcruciet quem violenta fames;
Qui ſimili captus formâ deſcendat, eâdem
Captivam expediens per ſua damna viâ?

---

19. *Demiſſa.*
——— Habentque
Tartara panthoïdem iterum orco
Demiſſum, i. e. delapſum. *Horat. lib.* 1. *Od.* 23.

Ergò duas luces tam triſti carcere clauſa
  Exigit, ad puteum non tamen ullus adeſt.
Per geminas noctes, cui frons argentea, lunæ
  Sphærica, tempus edax dùm fluit, ora cavat.
Jamque affulgebat vulpi ſpes nulla ſalutis,
  Cùm lupus hàc tranſit torridus ora ſiti.
Ad quem ſic vulpes: mecum volo, dulcis amice,
  Nunc epuleris: an hæc cernitur eſca tibi?
Caſeus eſt pinguis, preſſit quem dextera Fauni,
  Cui lac ipſa Io, lecta juvenca, dedit.
Si qua Jovi morbus faſtidia fortè creaſſet,
  Hæc guſtata Jovi redderet eſca famem.
Quod tu deeſſe vides, ego ſegmen læta comedi,
  Pars tibi, quæ ſupereſt, cœna erit ampla ſatis.
In ſitulam velox te jam dimitte capacem,
  A me quæ poſita eſt uſibus apta tuis.
Omni, quo potuit, rem quamvis illa colore
  Induerit, ſtolidè credulus hicce fuit.
Deſcendit, vulpem putei effert rursùs ad oram,
  Pondere dùm tractus fertur in ima ſuo.
Ne ridete lupum; paris & quandòque ſtuporis
  Vos ſtrophis paribus, lingua doloſa capit.
Nam quod quiſque timet trepidus, vel fervidus optat,
  Hoc nimiùm præceps credere quiſque ſolet.

Digitized by Google

FABULA VI.

Ruſticus Danubii accola.

Ex ſolo quemquam vultu ſpectare caveto;
Utilis admonitus, nec tamen ille recens.
Exigui muris jam pridem errore probavi
Hâc ſententiolâ verius eſſe nihil.
At nunc exemplum Æſopus cum Socrate præbet,
Ruſticus & quidam mî quoque teſtis erit.
Novit quiſque duos, celebrat quos fama, priores.
Quiſnam alius fuerit commemorare libet.
Illius hîc ſat erit breviter deſcribere formam,
Quæ fido Aurelî picta colore fuit.
È patre teutonico eſt caſulâ ſub paupere natus;
Potor, quam volvit turbidus Iſter, aquæ.
Pendebat mento, nullo tonſore reſecta,
Et nimium multis hiſpida barba pilis.
Villoſos artus atque ora ſimillimus urſo,
Aſt urſo genitrix quem malè finxit, erat.
Diſtortæ nares homini, ſpiſſiſſima labra,
Lumina ſub denſo torva ſupercilio.

---

1. *Spectare* pro *judicare*, *æſtimare*.
Heu! me miſerum, qui tuum animum ex animo ſpectavi meo. *Terent. Andr.* 4. 1. 22.
I. *e.* qui tuum animum ex meo æſtimavi.

4. *Sententiolâ.* Sententiolas edicti cujuſdam memoriæ mandavi, quas videtur ille peracutas putare. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 13. 30.

10. *Aureli.* Marcus-Aurelius erat romanus imperator cognomento philoſophus, à puero diſciplinæ ſtoïcæ deditus.

Cingebat lumbos è juncis zona marinis,
  Artubus & tegmen lana caprina dabat.
Tali habitu cultuque eſt Romam miſſus ab oris
  Quas rapidâ ſpumans irrigat Iſter aquâ.
Tunc non ullus erat ſeceſſus, ferre nefandas
  Quò non auſa manus itala avarities.
Ergò legatus regiiam advênit in urbem;
  Convenêre omnes, illicò verba facit.
Qui me audituri tacito nunc ore ſedetis,
  Cives Romulei, purpureique patres,
Præſentes priùs oro mihi ſuccurrere Divos,
  Atque duces linguæ, dùm loquor, eſſe meæ.
Dicere quod culpent, nil me patiantur; egemus
  Divinâ ſemper, quidquid agamus, ope.
Hanc niſi poſcamus, leges perfringimus; eheu!
  Omne malum mentes occupat; omne nefas.
Proh dolor! ærumnis rem nos teſtamur acerbis,
  Quos ſæva Æneadum plectit avarities.
Heu! gens noſtra minùs Romæ victricibus armis,
  Quàm propriâ pœnas improbitate dedit.
Roma time, ipſa time, Cœlum ne transferat olim
  Luctum intra muros exitiumque tuos.
Et manibus noſtris, æquâ vice, tela miniſtret,
  Queis pœnas vindex exigit ira Deûm;
Juſtaque pro damnis tandem tibi damna rependens,
  Te te noſtro adigat ſubdere colla jugo.

---

27. *Audituri.*

——— Fallacia verba
Non audituri diripuêre noti.
Propert. l. 4. Eleg. 7. v. 22.
——— Falsòque citavi
Non audituri numina magna Jovis.
Ovid. Faſt. l. 5. v. 634.

FABULA VI.

Cervus ægrotus.

Est quædam regio cervis pleniſſima, preſſum
  Quà morbo cervum decubuiſſe ferunt.
Complures properant ſocii ægro ferre medelam,
  Saltem ſolari : turba moleſta nimis.
Conficiat ritu ſolito me Parca, ſinatis
  O ſocii ! lachrymis ponite, quæſo, modum.
Incaſsùm hæc cervus : ſolantûm inviſa caterva
  Implevit penitùs triſte miniſterium.
Quandò Deo placitum, ceſſit, non gutture ſiccò ;
  Paſtûs jure fuit ſcilicet uſa priùs.
Vicinum cœpêre omnes depaſcere ſaltum ;
  Undè fit ægroti macra culina magis.
Nil infelici ſupereſt, quod dente teratur ;
  Sic mala qui tulerat plurima, plura tulit.
Dira exederunt vacuum jejunia ventrem,
  Adduxit tandem funera longa fames.
Corporis atque animæ medici, diſpendia quanta
  Heu ! patitur, veſtram qui ſibi poſcit opem.
Inverſi ô mores ! deflenda ô tempora ! fruſtrà
  Clamo, operæ extorquet præmia quiſque ſuæ.

12. *Macra culina.* Macer propriè dicitur de corpore exili & extenuato : ſed metaphoricè ad alias res transfertur.

——— Macro pauper agello.

Horat. l. 1. Sat. 6. v. 71. de ſuo patre.

Quid prodeſt mihi jam macer libellus ?

Martial. l. 2. Epigr. 6.

FABULA VII.

Veſpertilio, Dumus & Anas.

QUONDAM dumus, anas & veſpertilio fœdus
Junxêre, & patriam deſeruêre ſuam.
Noſtra, domi, aiebant, res eſt anguſtior æquo;
Fiet in externis tractibus ampla magis.
Mutandas ergò merces in diſſita regna
Vectârunt; ternis una crumena fuit.
Permulti his abaci, permultus & inſtitor, acri
Qui curâ munus complet & arte ſuum.
Expenſum in tabulis ritè acceptumque notatur;
Quidquid agant, votis aura benigna favet.
Tandem emptæ merces, dùm per ſcopuloſa vehuntur
Æquora, ubi anguſtæ difficileſque viæ,
Collectæ in faſces penetralia ad ima feruntur,
Proxima ubi Stygiis eſt apotheca locis.

---

6. *Ternis* pro *tribus*.
Vixerit ille ſenex (Neſtor) quamvis dùm terna per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurreret horis. *Tibul. l.* 4.
Immane eſt vitium dare millia terna macello.
Horat. l. 2. *Sat.* 4. *v.* 66.

Terna millia *pro* tria millia ſeſterſtium.

14. *Apotheca.* Apotheca græcè, ἀποθήκη, ab ἀποτιθεσθαι, quod ſignificat reponere, recondere. Apotheca igitur eſt repoſitorium: hæc vox, inquit Voſſius, in ſuo opere, ſeu dictionario, quod inſcribitur etymologicon, hæc vox eſt generalis; undè à juriſconſultis & aliis tribuitur vinorum, olei, librorum, ſimilibuſque receptaculis. Idem autor animadvertit, differre plurimùm officinam, apothecam, tabernam. In officinâ res fit ab opificibus, hinc cuſtodienda defertur in apothecam, à quâ qui divendunt, vocantur mercatores. Ex apothecis res mittitur in tabernas, ubi proſtet venalis.

Tres vano ſocii queſtu effudêre dolorem ;
Fallor ego : querulis abſtinuêre ſonis.
Dexter in hoc minimus mercator : damna ſilere
Eſt opus, ut ſaltem ſit ſibi ſalva fides.
Quæ tulerant, reparare modis diſpendia nullis
Heu ! potuêre: citò res manifeſta fuit.
Subſidio quovis, auroque fideque carebant ;
His nota turpis erat, mox ſubeunda palàm.
Nulla crumena patet miſeris ; Tithonidis ortum
Prævertens pulſat creditor ecce fores.
Expoſcit ſortem grandi cum fenore : multa
Lis oritur : Themidis ſæpè ſatelles adeſt.
Ad varias artes terni vertuntur amici,
Si fors placari poſſit iniqua cohors.
Quos tranſire videt, manibus remoratur aduncis
Dumus, ſicque dolens ſupplice voce rogat :
Dicite, quæſo, viri, quâ merces ſede repoſtæ,
Quas nobis rapuit gurgitis unda vorax ?
Has ſub aquis mergus perquirit ; depilis ales,
Luce, audet nulli proximus eſſe domo.
Cùmque exactores hunc inſectentur in horas,
Solus in obſcuro delitet uſque cavo.
Eſt mihi compertus non unus debitor æris,
Qui, non ſubmersâ ſic rate, factus inops.
Ille nec eſt dumus, nec anas, muſve aliger : at vir
Conſpicuis tantùm nobilitatus avis,
Qui ſe per ſcalas tecto interiore latentes
Subducit, quoties lux nova manè redit.

34. *Luce pro per diem.*
Luce, ſedet cuſtos aut ſummi culmine templi
Territus aut altis. *Virg. Æneid.* 4. *v.* 186.

35. *In horas*, i. e. *ſingulis horis.*
——— Tantum mihi creſcit in horas.
Virg. 10. *Eglog. v.* 73.

FABULA VIII.

Rixa Canum & Felium, item Felium & Murium.

REGNAVIT toto Diſcordia ſemper in orbe,
Præſtò exemplorum copia multa mihi eſt.
Huic Divæ in terris dat gens non una tributum;
Indicio primùm ſint elementa tibi.
Hos inter quatuor, queis tanta potentia, reges
Aſſiduo ſtupeas bella furore geri.
At quot res aliæ, genere è quocumque, perenne
Inter ſeſe odium diſſidiumque fovent!
Villa habuit quondàm multos feleſque caneſque,
Degebant nullos qui ſine lite dies.
Tandem ſolemni centum poſt edita ritu
Decreta, hi rixas compoſuêre ſuas.
Intentata ab hero rixoſis pœna flagelli eſt,
Partibus & geminis hora ſtatuta cibi.

---

1. *Regnavit.* Regnare dicitur propriè de regibus, ſed metaphoricè de rebus aliis.

——— Ebrietas geminata libidine regnat.

Ovid. l. 12. Metam. v. 828.

Per ramos victor perque alta cacumina regnat.

Virg. l. 2. Georg. v. 307. *de igne.*

Oratio in hoc uno regnat. *Cic. in Orat.* 128.

11. *Centum*, indefinitè pro pluribus nonnunquàm à poëtis accipitur, ſic centum greges *apud Horat. l. 2. Od.* 16. *v.* 33. Centum juvenci *apud eundem, lib. Epod.* 17. *v.* 39. Et centum puer artium, *hoc eſt* multarum, *l. 4. Od.* 1. *v.* 15.

Queis & fungatur, ſua dedita munia cuique;
Ex illo, hæ fratrum vivere more, feræ.
Viciniſ inſigne dabat concordia tanta
Exemplum; tandem pax ea rupta fuit.
È menſâ pultem cum ſervus & oſſa referret,
Neſcio quem reliquo prætulit ille gregi.
Adverſæ partes, nimis invida pectora, frendent
Atque negant ferri tam grave poſſe probrum.
Enixæ, hiſtorici memorant ſi vera, catellæ,
Jus præter proprium, ceſſerat iſte favor.
Sic legi: ſed, quidquid id eſt, fervente tumultu,
Mixta hinc aula omnis, mixta culina fuit.
Diſtractæ mentes ſtudia in diverſa: tuetur
Hic catuli partes, felis & ille ſui.
Sancitur lex, viſa minùs quæ felibus æqua;
Vicini queſtu perſtrepuêre loci.
Dicere cauſidicus: decreta antiqua ſenatûs
Conſulite; hæc fruſtrà quærere quiſque ſtudet.
Nam fuerant ſepoſta domûs penetralibus imis,
Demùm præbuerant muribus illa dapem.
Jamque novi audiri gemitus, nova jurgia naſci:
Soriceum indè tulit plurima damna genus.
Permultus felis, ſenior, vafer atque recoctus,
Et deletum iſtud qui genus omne velit,
Excubat atque capit multos, & funera denſat.
Quæ malè ſoricibus, res benè vertit hero.
Undè abii, redeo; quâcum non altera pugnet,
Rem nullam in toto condidit orbe Deus.
Lex ea naturæ, cujus conquirere cauſas
Si quis nitatur, tempus inane terat.

Quòd fecit, fecit benè rerum providus Auctor:
  Hoc ſuper ulterius nil mihi noſſe datur.
Hoc unum novi: ob lanam plerumque caprinam
  Plurimus ad rixas duraque verba venit.
Cùm decies ſenos, homines, abſolvitis annos,
  Mitti ad barbicolas vos iterùm eſſet opus.

---

50. *Barbicolas.* Barbicolarum vox deſumpta eſt ab Italis qui eam invenerunt, ut deſignarent pædagogos, qui, quò ſcholaſticis venerabiliores viderentur, ſuam olim barbam colebant.

FABULA IX.

Lupus & Vulpes.

CUR, homines inter, nequeas reperire vel unum;
Vivat qui lætus conditione ſuâ?
Militis exoptat ſortem, qui tractat aratrum;
Dùm ſortem agricolæ, qui gerit arma, cupit.
Quædam, ſic perhibent, vulpes lupus eſſe volebat;
Quis ſcit an ipſe lupus non ovis eſſe velit?
Quòd princeps, qui tres uni luſtro addidit annos,
Fabellam hinc potuit condere, miror ego.
Dùm jam caneſcens per multum extrudo laborem
Frigente è cerebro, quæ meditata diù.
Rectiùs hic meliùſque docet ſermone ſoluto,
Verſibus & modulis quàm mea muſa ſuis.
Quæ finxit benè, non æquat, non omnia reddit
Vatis opus. Magis hinc principis auctus honos.
Illius laudes tenui cantare cicutâ
Eſt mea dos omnis, munus & omne meum.
Verùm poſt tempus breve, me meus, auguror, heros
Inflatâ coget grandè ſonare tubâ.
Artem fatidicam non ſum perdoctus: in aſtris
Attamen illius ſplendida facta lego.
Complures virtus celebranda repoſcet Homeros,
Perpaucos quanquàm tempora noſtra ferunt.

9. *Caneſcens* Caneſcere eſt canum fieri, & de ſenibus dicitur cùm capilli eorum ex nigris, aut fuſcis, aut viridibus ad albedinem accedunt.

18. *Grandè ſonare.*

Grandè ſonant tragici, tragicos decet ira cothurnos.
Ovid. de Remed. amor. v. 375.

Hos nunc arcanos eventus mitte, venuſtis
Fabellam tentes, muſa, referre modis.
Quædam ita compellaſſe lupum vulpecula fertur:
Tandem uti victu nobiliore velim.
Eſt dape pro totâ mihi ſæpè annoſus, amice,
Gallus, vel pulli, vilior eſca, macri.
Jam talis ſordet mihi cœna, minore periclo
Tu cœnare ſoles, & meliore cibo.
Ædibus accedo propior; ſtas indè remotus;
Artem, tu, quæſo, me doce, amice, tuam.
Fac, ego prima meæ ſim gentis, cujus ab unco
Appenſam pinguem cernere detur ovem.
Non me, polliceor, malè gratos inter habebis.
Id quod aves, jam nunc, rettulit alter, agam.
Occubuit noſtris unus de fratribus: olli
Tollamus pellem, quæ tibi veſtis erit.
Ergò venit vulpes: ſi vis arcere moloſſos,
Qui ſervant agnas, hoc, lupus inquit, age.
Induit ut pellem, docilis repetebat alumna,
Singula præceptor quæ documenta dabat.
Rem primùm malè, mox meliùs, dein ritè peregit,
Sic tandem, ut verum dixeris eſſe lupum.
Hanc ſimul ac, quantùm poterat, ſe finxit ad artem,
Agmen lanigerum non procul indè venit.
Accurrit novus iſte lupus, quò præda vocabat,
Finitima & ſpargit per loca quæque metum.
Patroclus quandò eſt armis indutus Achillis,
Sic Trojam implevit, totaque caſtra pavor.

---

31. *Ædibus accedere.* Accedere quandòque poteſt dativo jungi. Annibal cùm prope jam mœnibus acceſſiſſet, caſtra ab urbe, fermè paſſus mille, locat. *Tit. Liv. Decad.* 3, *l.* 4.

35. *Malè gratos.* Malè gratus pro ingratus.

Ille quidem malè gratus & ad mea munera ſurdus.
Ovid. 7. *Heroll.* v. 27.

Omnibus è vicis, matreſque, nuruſque, ſeneſque,
  Ædes ad ſacras præcipitare gradum.
Cernere mille lupos balans ſe turba putavit,
  Fugêre ad pagum, cum cane, paſtor, oves.
Hoſti, tanquàm obſes, tantùm una relinquitur agna:
  Arripit hanc avidâ fauce repentè latro.
Mox audit gallum vicinâ in chorte canentem;
  Illicò diſcipuli projicit ecce togam.
Lanigeras oblita greges, documenta, magiſtrum,
  Ad notam, recto tramite, currit avem.
Arte tibi alterius quid proſit fingere mores?
  Non ita naturam depoſuiſſe datur.
Seſe offert oculis ut res dilecta, priori
  Te vitæ reddit ſponte cupido tua.
Princeps, ingenii quem nemo viribus æquat,
  Hìc quod ego cecini, muneris omne tui eſt.
Ipſe miniſtraſti mihi carminis argumentum,
  Colloquium, & fictis abdita vera jocis.

---

61. *Tibi fingere.* Quòd ſi vultum tibi, ſi inceſſum fingeres, quò gravior viderere, non eſſes tui ſimilis. *Cic.* 2. *de Finib.* 77.

FABULA X.

Cancer & ejus Filius.

Qui ſapit, à portu quandòque avertere terga
  Et ſe ferre retrò, cancer ut omnis, amat.
Hoc nautæ in ventos aſtu, hoc utuntur in hoſtem,
  Pectore qui tacito grandia cœpta tegunt.
Adverſam in partem ſimulant ſe vertere curſum,
  Ut deceptus eò torqueat hoſtis iter.
Tracto argumentum leve, cui dare pondera conor;
  Fabellæ adjiciens magna ſed apta meæ.
Qui conjuratos centum unus comprimit hoſtes,
  Laudem hic bellator poſſet habere ſuam.
Mente premit, quid agat, quid non. Mox emicat acer,
  Jamque addit regnis oppida multa ſuis.
Quod tegit incaſsùm rimari enitimur; illud,
  Ceu fati legem, nil inhibere poteſt.
Fit tandem indomitus torrens dùm creſcit; in unum
  Cætera haud valeant numina ſtare Jovem.
Conjurâſſe mihi Lodoix fatumque videntur,
  Quò junctis orbem viribus ambo trahant.
Verùm ad fabellam veniat jam noſter Apollo.
  Compellans cancrum ſic ſua mater ait:
Incedis quali greſſu, proh ſumme Deorum!
  Nonne potes recto tramite ferre pedes?
Tu quali vadis quoque greſſu? filius inquit:
  Anne aliter noſtrum quàm genus, ire queo?
Paſſibus obliquis cancrorum it tota propago:
  Rectis mene, precor, paſſibus ire velis?

Hæc dixit, meritòque; exempla domeſtica miram
Vim, quâ progenies tota trahatur, habent.
Hinc ſani quidam, hinc plures redduntur inepti,
Hinc eſt cauſa bonis moribus atque malis.
Rem mea ſat fabella docet; redeamus ad artem
Quæ metæ obvertit callida terga ſuæ.
Utilis imprimis hæc bellatoribus: ipsâ
Utere, ſed quandò tempora dextra ferent.

---

29. *Redduntur.* Reddere pro efficere.
Flumen habent cicones, quod potum ſaxea reddit
Pectora. *Ovid. Metam. l. 5. v. 313.*
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit.
Horat. l. 2. Epiſt. 2. v. 34.

FABULA XI.

Aquila & Pica.

QUONDAM aquila alituûm princeps, & garrula pica,
Ingenio abſimiles, indole, voce, togâ,
Venêrunt caſu ſeceſſum in vallis eumdem,
Utraque dùm prati calle tenebat iter.
Primùm aquilæ ſubito occurſu perterrita pica eſt;
Mox omni penitùs corda timore levat.
Nam meliùs ſolito pranſus jovis armiger ales,
Sis ſecura, mihi tu comes ibis, ait.
Si ſunt ſæpè Deûm ſummo ſua tædia patri,
Orbis quem vaſti ſedula cura tenet;
An mirum, mea quòd patiar quoque tædia, ſolus
Cui geſtare labor tela triſulca jovis?
Ergò meos hilara ſenſus ſermone jocoſo,
Fare & liberiùs quod tibi cumque libet.
Garrulitate potens pica indefeſſaque verbis,
Hoc modò, mox illud, denique cuncta crepat.
Garrulus hic Flacci dicenda, tacenda locutus,
Præ blaterone iſtâ næ taciturnus erat.
Ut referam tibi, comis ait, quæcumque geruntur,
Subſultim varios pervolitabo locos.
Sanè exploratrix bona, at indignata pudendum
Reſpuit officium ſacra miniſtra jovis.
Natalem nemorum, dixit, mea amicula, ſedem
Jam remea; tu nil es niſi lingua, vale.

18. *Næ* pro *certè*, adverbium affirmandi.
Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.
Terent. Andr. Prolog.

Si neſcis, roſtro mea non eget aula loquace
  Indicium eſt mentis garrula lingua malæ.
Hanc pica excepit non ægrâ mente repulſam,
  Regali optabat nam procul eſſe domo.
Non juvat, ut jactant, Divûm atria ſacra ſubire;
  Sæpiùs iſte alti cauſa doloris honos.
Qui facta explorant aliena, audita renarrant,
  Et blando vultu perfida corda tegunt,
Sunt odio ſociis; licèt hìc cogamur adeſſe
  In picæ morem, cum bicolòre togâ.

Duo ultimi verſus poſſunt ita verti.

Sunt odio ſociis, quanquàm, picæ inſtar, oportet
  Perſonæ hìc duplicii ſuſtinuiſſe vices.



FABULA XII.

Rex, Milvius & Auceps. *

Serenissimo Principi DE CONTY.

Pectoris eſſe Deos mitis, noſti, optime princeps;
 Hinc mitis reges pectoris eſſe jubent.
Pulchrius eſt regum jus ſponte ignoſcere, dulci
 Iram vindictâ quàm ſatiare ſuam.
Sic cenſes: moveat ſi fors innoxia pectus
 Ira tuum, naſcens protinùs emoritur.
Haud poterat ſtomacho moderari fortis Achilles,
 Hinc heros longè te minor ille fuit.

---

* Monendus eſt lector, hanc fabulam in editione Domini *Coſte*, quam ego ſecutus ſum, in quibuſdam locis ab aliis editionibus differre, hic quippè editiones quoſdam verſus gallicos continent, quos Dominus *Coſte* in ſuâ editione omiſit: nemo igitur miretur, quod verſus eoſdem in latinam linguam non tranſtulerim.

4. *Iram ſatiare.*
 Forſitan hoc olim cùm ſe ſatiaverit ira,
  Tùm quoque ſollicitâ mente rogandus erit.
   Ovid. 3. *Triſt.* 8. *v.* 19.

7. *Moderari*, benè cum dativo jungitur.
  ——— Qui non moderabitur iræ
 Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit & mens.
   Horat. lib. 1. *Epiſt.* 2.

7. *Stomacho.* Stomachus *pro* ira.
 Nos Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
 Pelidæ ſtomachum cedere neſcii. *Horat. L.* 1. *Od.* 6.

Mortales tantùm reor iſto nomine dignos,
Qui revocant donis aurea ſecla ſuis.
Tales nunc proceres pauci. Si quandò nocere
Parcunt, hoc inſtar muneris orbis habet.
O quàm tu diſpar! donorum prodiga dextra
Aonio ſpondet jam tibi templa jugo.
Nomen nempè tuum ſacræ incola ſedis Apollo
Non antè auditis vult celebrare modis.
Cœli equidem expectat dudùm te regia: terras
Sat, per centum hiemes, ſit coluiſſe tibi.
Vovit hymen hoſpes centum tuus eſſe per annos;
Spiritum ad extremum rideat ille tibi.
Condat deliciis tibi millibus aurea fata,
Queis ſeclum finem vix poſuiſſe queat.
Scilicet es dignus tam dulcis munere vitæ,
Digna ſimul princeps, quam tibi junxit hymen.
Teſtis & ille lepos & vultûs illa venuſtas,
Quæ primo aſpectu pectora quæque rapit:

---

14. *Spondet.*
——— Spondet fortuna ſalutem. *Virg.* 12. *v.* 637.
I. e. promittit certam ſalutem.
Te fera, nec quidquam placidum ſpondentia, Martis
Sidera preſſerunt, falciferique Senis.
Ovid. in Ibin. v. 217.

18. *Coluiſſe.* Colere *pro* habitare.
——— Pallas, quas condidit arces,
Ipſa colat. *Virg.* 2. *Eglog. v.* 62.
Inſulæ in Ionio magno, quas dira Celæno
Harpiæque colunt aliæ. *Idem. Æneid. l.* 3. *v.* 212.
20. *Rideat.* Ridere, metaphoricè, *pro* favere.
——— Tibi rident æquora ponti.
Lucret. lib. 1. *v.* 8.
——— Vultu riſit fortuna ſecundo.
Ovid. 1. *Triſt. l.* 4. *v.* 2[illegible]

Teſtes illæ animi, in vobis quas largiùs unis,
  Ante annos, cœlum ſpontè profudit, opes.
Borbonium ingenitos aptè condire lepores,
  Ingenii ſalibus judicioque, juvat.
Olli mirificas dotes Deus indidit, undè
  Conciliatur amor, conciliatur honos.
Tot laudeſque tuas & gaudia pandere verſu
  Haud valeo. Ergò magis me ſiluiſſe decet.
Imò, prædatrix olim quid fecerit ales,
  Feſtivis propero commemorare modis.
Vivus narratur deprenſus ab aucupe milvus,
  Sublimis nidi qui vetus hoſpes erat.
Noſtro homini placuit regi donare volucrem.
  Rara fuit quòd res, hinc pretioſa magis.
Aulam adit, & pronus regi, milvum accipe, dixit:
  Quem præter ſolitum ſors mihi læta dedit.
Principis auguſti naſo, ſi credere dignum eſt,
  Infixiſſe ungues hæc avis auſa ſuos.
Quid! regis naſo? Sic faſtis prodita res eſt,
  Ipſius naſo regis inhæſit avis.
Ergò nec ſceptrum rex, nec diadema gerebat?
  Geſſiſſet quamvis illa, perindè foret.
Regalis narem auguſtam dignoſcere vultûs
  Nare à vulgari, neſcius ales erat.
Clamores procerum, curas, trepidumque timorem
  Certè eſſet vanus, velle referre, labor.
Rex queſtu abſtinuit: querulos erumpere ſummæ
  De majeſtatis dedecet ore ſonos.

---

56. *Non fuit.* Non eſt *pro* non eſt poſſibile.
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt.
Horat. l. 1, Sat. 5.

In ſtatione ſuâ hæſit avis : vel temporis uno
Diſceſſum articulo non celerare fuit.
Vociferans herus hanc revocat, ſe torquet, & eſcam
Et pugnum oſtentans : omnia ſpernit avis.
Hîc noctem, clament licèt, exactura videtur :
Tam forti in ſacris naribus ungue ſedet.
Firmiùs hîc perſtat quò plus evellere tentant,
Sponte ſuâ tandem deſerit illa locum.
Tùm rex pacificus : volucrem dimittite, & iſtum
Qui ſe dona ratus grandia ferre mihi eſt.
Milvî alter partes, alter nemorum hoſpitis egit,
Et benè complevit munus uterque ſuum.
Aſt ego, qui novi, deceant quæ munia regem,
Supplicio immunis cedat uterque, volo.
Aula ſtupere omnis, proceres ad ſidera ferre
Splendida facta, ſequi quæ tamen uſquè negant.
Vel reges inter, paucos hæc gloria tangit,
Ut ſtudeant iram ſic cohibere ſuam.
Imprudens auceps evaſit grande periclum ;
Uno errore nocens vir volucriſque fuit.
Neſcierant illum vitæ diſcrimen adire,
Qui domino propior non timet eſſe ſuo.
Præter ſilvicolas non quidquam nôrat uterque ;
Hæc culpa amborum tantane culpa fuit ?
Rem geſtam Eois narrat Pilpæus in oris,
Quà Ganges aureas in mare volvit aquas.

---

80. *Aureas*, diſſyllab. ſic :
Quam venit, aulæis jam ſe regina ſuperbis
Aureâ compoſuit ſpondâ, mediamque locavit.
Virg. Æneid. l. 1. v. 702.
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit. *Virg. l. 8. Æneid. v. 372.*

Audet ibi nemo pecudum fudiſſe cruorem,
Quas tetigiſſe ſibi rex putat ipſe nefas.
Noſtrûm, aiunt, quis ſcit prædatrixne iſta volucris
Adfuerit, quandò Pergama verſa ſolo?
Forſitan heroïs clari, victricibus armis,
Principis aut magni munia ſuſtinuit.
Continuis formas vicibus mutandò, quod olim
Ille fuit, forſan poſtmodò rursùs erit.
Induimus varias pecorum exuimuſque figuras.
Ipſa hæc Pythagoræ ſunt documenta patris.
Qui nunc milvus, erit deinceps homo, deindè columba;
Poſt, cujus ſoboles aëra tranat, avis.
Aucupis at caſus duplici ratione refertur;
Altera verſiculis nunc memoranda meis.
Milvum, aiunt, laqueis falconum ceperat altor;
Hanc regi, inſolitum vult dare munus, avem.
Centenos intra res vix ſemel evenit annos:
Ultrà nil auceps aucupiumque valent.
Ergò, circumfuſam inter procerum iſte catervam,
(Plus ſolito fervens) rumpere geſtit iter.
Atque exultabat, tanquàm, ob mirabile donum,
Pactoli totas jam tenuiſſet opes.
Ales at æra ſuo portans crepitantia collo,
Cui rude pectus adhuc ruſticitaſque ferox,
Impete præcipiti ſe mittit in aucupis ora,
Narem adamantæo corripit ungue tenax.

---

91. *Poſt* pro *poſteà*.
Poſt, mihi non ſimili pœnâ commiſſa luetis.
Virg. Æneid. 1. *v.* 140.
—— Nec poſt, oculis eſt reddita noſtris.
Virg. Æneid. l. 2. *v.* 740.

Inclamare auceps, rex & ridere caterva;
  Riſum ecquis poſſet continuiſſe ſuum?
Riſui ego mallem tunc indulgere ſoluto,
  Quàm vaſtæ Arſacidûm regna tenere plagæ.
Lætus an exhilaret ſe riſu papa jocoſo,
  Non auſit vates aſſeruiſſe tuus.
At regi interdùm ſi non ridere liceret,
  Credo equidem, regis vita dolenda foret.
Cœlicolæ rident, ridet rex ætheris, etſi
  Lumina habet nigro tecta ſupercilio;
Atque omnis riſit Cœleſtûm turba, cachinnis
  Æthereas ſedes perſonuiſſe ferunt,
Impare cum pede ſubſultans Vulcanus, aduſtâ
  Porrexit dextrâ pocula plena Jovi.
Satne gravem vultum ſervârint Numina, nec-ne,
  Mutata eſt meritò mox mihi materies.
Cùm ſint fingendi mores, quidnam ampliùs iſte
  Caſu auceps poterat nos docuiſſe ſuo?
Sæpiùs accipitrum domitorem mentis egere,
  Quàm læſum regem parcere, quiſque videt.

FABULA XIII.

Vulpes, Muſcæ & Echinus.

VULPES vafra, ſagax, nemorum vetus hoſpita, ſævâ
Venantûm graviter cuſpide læſa fuit.
Semita, quâ fûgit, multo ſignata cruore eſt.
Deficiunt vires, incidit inque lutum.
Huc pellectus adeſt paraſitus penniger, idem
Qui noſtro dictus carmine muſca fuit.
Incuſare Deos vulpes, & iniqua vocare
Fata, heu! muſcis quòd data præda foret.
Sic me impugnari! me, cui nemorum incola nullus
Se jactare auſit calliditate parem!
Ex quo ſunt factæ tam dulcia pabula vulpes?
Quid me cauda juvat? vanum onus illa mihi.
I, pecus infeſtum terris, Dî te malè perdant.
Communis victum quin parat eſca tibi?
Obtulit auxilium vicini ruris echinus,
Prodire hîc primùm cui mea muſa dedit.
Mox gentem delebo, ait, ô vicina, moleſtam,
Quæ vacuat venas, ore bibace, tuas.
Jam mea turmatim transfigent ſpicula muſcas:
Sic facili arte tuis eripiêre malis.
Ah! cave ne facias; ſine carnem ſugere pergant;
Turgentes cunctas jam ſaturaſque vides;
Has mihi ſi tollis, nova protinùs irruet in me
Majori ingluvie ſævitieque phalanx.
Tot ſunt in terris, ut vix numerentur edaces:
Aulica gens multos genſque forenſis habet.

Digitized by Google

Fabulam Ariſtoteles mortalibus aptat eamdem,
  Omni exemplorum pullulat orbe ſeges.
Præſertim in noſtris ea gens numeroſior oris,
  Importuna minùs, quò ſaturata magis.

---

28. *Pullulat* Pullulare eſt propriè fetificare, quaſi pullulos, *hoc eſt* ſtolones emittere; gallicè *pulluler*, *jetter des ſurgeons*, *produire des ſurgeons*. Pullulare dicimus arbores, quarum è radice novæ plantæ ſurgunt. Pullulare tranſlatè eſt abundare, eſſe copioſum.

Tam ſævæ facies, tam pullulat atra colubris.
Virg. Æneid. l. 7. *v.* 329. *de Alecto.*

Pullulare incipiebat luxuria. *Nepos.* 24. 2 2. *Id eſt*, creſcere incipiebat immodicus voluptatum deliciarumque uſus.

FABULA XIV.

Stultitia & Amor.

MYSTICA ſunt penitùs, quæcumque in amore videmus,
Nempè tenella ætas, tela, pharetra, faces.
Non fuerit ſatis una dies, ut ſingula verſu
Evolvam, neque mens evoluiſſe mihi eſt.
More meo, tantùm referam, quis caſus ademit
Huic cæco lumen, ſit licet ille Deus.
At quid contigerit poſt hoc, ſors utile, damnum,
Viderit omnis amans, me tacuiſſe decet.
Stultitia unà & amor quondam luſiſſe feruntur,
Tempus ad hoc oculis non erat orbus amor.
Exoritur ſubitò geminum inter rixa ſodalem
Concilio, inquit Amor, Iis dirimenda Deûm.
Stultitiæ rupta eſt patientia; ſævius ictu
Impacto, comiti lumen utrumque rapit.
Vindictam exegit Cytherëia; quot clamores,
Quot planctuſque dedit fœminaque & genitrix!
Obtundi hinc aures queritur ſibi Rector Olympi,
Minos & Nemeſis, totaque turba Deûm.
O immane nefas! clamat Venus: abſque bacillo
Non potis eſt proles noſtra movere pedem.
Haud par horrendo ſceleri pœna ulla piando,
Sarciri damnum præcipit æqua Themis.

---

10. *Tempus ad hoc.*
Tempus ad hoc nobis, repetas licet omnia, nullum
Profuit, atque utinam non nocuiſſet opus.
Ovid. ex Ponto, l. 1. Epiſt. 5.

Ut benè perpendêre omnes, quid publica poſcat,
Quid poſcat læſi Numinis utilitas,
Stultitiam juſſit cœleſtis curia, amoris
Eſſe ducem, quoties carperet ille viam.

FABULA XV.

Corvus, Teſtudo, Capra & Mus.

AD DOMINAM DE LA SABLIERE.

Versibus hiſce meis tibi templa ſacrare parabam,
Quæ non orbe priùs diſſoluenda forent.
Hæc manibus conſtructa meis durare dediſſet
Ars præclara, ipſi quam reperêre Dei,
Firmaſſetque eadem, virtus nomenque verendum
Noſtræ, quæ largo thure colenda, Deæ.
Poſtibus in celſis ſcripſiſſem talia verba:
Hæc est sacra ædes, Iridis aula Deæ:
Hanc dico, non quæ Junoni ſerviat, Irim,
At cui ſervirent Juno Deûmque Pater.
Cum Junone Deûm Rex magno ducat honori,
Si noſtræ poſſit nuntius eſſe Deæ.
Exhibeat fornix nimbis cœloque receptam,
Huc adſint cives quotquot Olympus habet,
Atque ſub umbellâ, radiis quæ fulgeat, Irim
Cum pompâ inſigni lætitiâque, locent.
Tota hujus vita in muris deſcripta pateſcat,
Materies memori marmore digna legi.
His ſed ab hiſtoriis tamen abſint triſtia facta,
Quæ cladem imperiis exitiumque ferunt.
Templi in ſeceſſu, Divæ cernatur imago,
Os roſeum, lenis riſus, & illecebræ,

17. *Pateſcat.*
——— Portuſque pateſcit
Jam propior. *Virg.* 3. *Æneid.* v. 530.
Nec ratio ſolis ſimplex, nec ſola pateſcit.
Lucret. l. 5. v. 613.

Vel

Vel dùm non quærit placuiſſe, ars certa placendi,
 Quæque ad ſe omne rapit pectus amabilitas.
Illius ante pedes mortales ordinis omnis,
 Pinxiſſem, heroas Semideoſque ſimul;
Pinxiſſemque Deos: nempè hi quos mundus adorat;
 Huic Divæ interdùm thurea dona ferunt.
Quas in mente recondit opes, fulgere dediſſem
 In blandis oculis, pars ſed omiſſa foret;
Nam tenerum fidumque in ſolos pectus amicos
 Illa acies mentis ſedibus orta Poli,
Femineuſque lepos, animat quem forma virilis,
 Haud noſtro reddi carmine ritè queunt.
O tu quæ vultus omnes ad te allicis unam
 Et noſti innumeris cuique placere modis,
Quam ſpontè, ut ſemet, quivis profitetur amare,
 Undè tamen vetiti ſenſus amoris abeſt;
Quippe tuâ inconcuſſa Venus ſimul exulat aulâ,
 Ergò & verſiculis exulet illa meis:
Tu ſine, perficiam tandem præconia laudis
 Inchoat hîc calamo quam mea muſa rudi.
Illud tentamen, quò gratia major adeſſet,
 Præfixi hiſtoriæ quæ tibi grata foret.
Talia amicitiæ nempè hîc ſe pignora prodent,
 Ut te tantiſper detinuiſſe queant.
Non reges inter geritur res; ducere magni
 Jure negas regem neſcium amicitiæ:
Huic tu mortalem qui defenſurus amicum
 Prodigus eſt vitæ, præpoſuiſſe ſoles.
At novi paucos, proh noſtri dedecus ævi!
 Paucos, commendet quos ita firma fides.
Tecto vivebant animantia quattuor uno,
 Quæ noſtræ genti mox documenta dabunt.

Corvus, teſtudo, mus ſcilicet atque capella,
  Unanimes rarus quos ſociarat amor.
Dulce nimis fœdus! ſecurâ hos pace beabat
  Sedes, quam nondum noverat ullus homo.
Sed quid? homo tandem retegit quamcumque latebram;
  Deſertis celent te cava ſaxa locis,
Auræ te ſummæ teneant, æquorve profundum,
  Non eris humanis tutus ab inſidiis.
In prato viridi ludens innoxia capra,
  Cœperat herboſo ſubſiluiſſe ſolo.
Hujus odoratur ſubitò veſtigia, ſævos
  In luſus hominum bellua nata, canis.
Capra fugit; reliquos tùm mus affatur amicos,
  Debita carpendi vênit ut hora cibi.
Convivæ hîc quatuor cur non de more ſedemus?
  Deſiit an noſtri jam memor eſſe capra?
Hîc teſtudo ſuos inclamans prodere ſenſus,
  Ah mihi! ceu corvo ſi data penna foret!
Hâc ego nunc raperer, perquirere ſedula quonam
  Caſu, quâve plagâ noſtra retenta comes.
Credo equidem: noſtrum minimè cœtum illa reliquit;
  Huic ſi planta levis, non leve pectus ineſt.
Nec fruſtrà dixit: fervens ſubito impete corvus,
  Aërium pennâ remige tranat iter.
Deprenſam in laqueis capram procul ecce tuetur
  Conantem fruſtrà rumpere vincla pedum.
Non percontatur tempus cauſamque modumque,
  Decidit in teretes quo male cauta plagas.
Tali abſumpiſſet ſermone didaſcalus horam,
  Noſter plus ſani pectoris ales erat.

Sed volat & revolat; caſum denarrat: amici
Tres pendere animis, remque agitare ſimul.
Ex ipſis dixêre duo: mora nulla, petamus
Triſtem, quo luget capra retenta, locum.
Servet, ait volucris, teſtudo domum: pede tarda,
Poſt miſeræ adveniat triſtia fata capræ.
Vix ea: jamque viam celerant, caram ambo ſodalem
Ut montanam adeant expediantque capram.
Auxilii in partem voluit teſtudo venire,
Non ſecùs ac ſocii jam tenet ecce viam.
Jure domum impoſuit ſibi quam natura ferendam,
Increpat, execrans, cruraque curta nimis.
Funivorus, rectè quo dicunt nomine murem,
Arrodit nodos reticulumque ſecat.
Gaudia non referam; vir adeſt, ſtupet, ingemit, ô quis
Prædam auſus, clamat, diripuiſſe meam?
Audiit ut vocem, conſedit in arbore corvus;
Mus cava tuta petit, libera capra nemus.
Cornigeræ quod nulla feræ veſtigia cernat,
Penè inſanit homo, tardipedemque videt.
Tùm cohibens iram, cur ſic ego terreor? inquit,
Quam cœnam amiſi, ſuppleat iſta, volo.
Hanc ſacco immittit; pro cunctis ergò daretur
Hocce caput, capream nî monuiſſet avis.
Deſerit umbroſos celeri pede capra receſſus:
Se, claudam ſimulans, objicit illa viro.
Venator ſectans fugitantem, projicit omne,
Præcipitem curſum quod remoretur, onus.

---

107. *Pro cunctis daretur hocce caput.*

Unum pro multis dabitur caput. *Virg. Æneid.* 5. v. 815. de *Palinuro claſſis Æneæ gubernatore.*

Id eſt, unicum caput pro multis peribit.

Intereà aggreditur mus ſacci abrumpere nodos,
Impiger, atque ſuum dentibus urget opus.
Sic tandem eximitur ruptis ſoror altera vinclis,
Undè homini cœnæ ſpes erat una ſuæ.
Rem cecini, qualem memorat Pilpeius; at ſi
Phœbum implorarem, longius eſſet opus.
Iliaden vel Odyſſean, præ mole, volumen
Æquaret, poſſem quo placuiſſe tibi.
Mus primas ageret, licet hîc, ſi vera fatemur,
Quemque ſuas ſit opus ſuſtinuiſſe vices.
Sic domiporta urget corvum, explorator ut eſſe
Gaudeat, & ſociis nuntius eſſe ſuis.
Callida venantem capra tantâ detinet arte,
Funivoro ut poſſit temporis eſſe ſatis.
Sic ceſſat nemo, incumbit ſed quiſque labori,
Et ſibi commiſſum ſedulus urget opus.
Victricis palmæ hîc referet quis præmia? Pectus,
Judicio noſtro ſi ſit habenda fides.
Ecquid amicitiæ fervor non poſſit & auſit?
Eſt alius ſenſus, qui vocitatur amor.
Ille minore licet videatur dignus honore;
Hunc commendo tamen, nocte dieque cano.
Heu! magis hinc felix haud vivo. Hujuſce ſororem
Tutari gaudes: grande patrocinium:
Mî ſatis eſt: illam noſter tentabit Apollo
Cantibus & modulis mox celebrare novis.

---

119. *Odyſſean.* Odyſſea eſt Homeri opus de Ulyſſis erroribus, viginti quatuor libris abſolutum.

Perlege Odyſſean omnia noſſe volens.

Auſon. Epiſt. 5.

Mî quondam imperitabat amor, fateorque pigetque;
Aſt alius dominus jam mihi jura dabit.
Auſpicibus Muſis, divinoque impete raptus
Illius atque tuum nomen ad aſtra feram.

---

140. *Alius dominus*, nempè amor quem exiſtimatio parit; hujuſmodi amor vocatur amicitia.

FABULA XVI.

Silva & Lignator.

Lignum, cui fuerat mordax aptata ſecuris,
 Perdidit aut fregit ruſticus æris egens.
Tam reparare citò haud potuit ſibi flebile damnum,
 Quin illæſa aliquo tempore ſilva foret.
In montem noſter ſua fert veſtigia demùm
 Ruſticus, & ſilvam ſupplice voce rogat.
Ah! quæſo, ramum ſine tollam leniter unum,
 Undè novum ars fabricet noſtra manubriolum,
In reliquas vovi poſthàc impendere ſilvas,
 Tutamen vitæ ſubſidiumque meæ.
Integra tu ſtabis noſtrâque intacta bipenni,
 Salva tibi quercus, ſalvaque pinus erit,
Quarum jampridem colitur, ceu ſacra, ſenectus,
 Semper & ob patulas gratior umbra comas.
Silva incauta, petit quæ perfidus, arma miniſtrat;
 Huic ſua ſimplicitas exitioſa fuit.
Ferro aptat lignum ingratus, ſpoliatque benignam;
 Quidquid habet decoris, ſilva perire videt.
Omnibus, heu! luget momentis ſaucia: cladis
 Inſtrumenta, nefas, ſunt ſua dona ſuæ.

19. *Omnibus momentis.*

Te, niſi momentis video penè omnibus abſens.

Ovid. l. 3. ex Ponto. Epiſt. 5. 21. 47.

21. *Sequaces* Flexiles quamque in partem ducimur à principe, atque, ut ita dicam, ſequaces ſumus. *Plin. in Paneg. cap. 45.*

Sic ſe vulgus habet, vulgi & quicumque ſequaces:
Noſtra infert nobis per benefacta malum.
Dicere me piget; at dulces qui conſpicit umbras
His lædi probris, quî, precor, ora premat?
Queſtibus heu! vanis aures monitiſque fatigo;
Servabit mores gens malè grata ſuos.

---

22. *Benefacta* pro *beneficia.*
Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Neſciat, hunc credas populum.
Claudian. de laudibus Stiliconis. L. 3. *v,* 182.
Benefacta malè locata, malefacta arbitror. *Ennius apud Cic. l.* 2. *Offic.* 61.

FABULA XVII.

Vulpes, Lupus & Equus.

VIDIT equum in pratis (non viderat hactenùs ullum)
Vulpes, quanquàm annis junior, arte ſenex.
Compellanſque lupum tironem & naris obeſæ;
Accurre: in noſtris en fera paſcit agris.
Quàm mole ingenti præſtat, quàm corpore pulchro!
Hanc quòd viderim, adhuc pectora læta mihi.
Subridere lupus; mene eſt robuſtior? inquit.
Iſtius effigiem tu mihi pinge, precor.
O utinam pictor ſim, vel pictoris alumnus,
Dulciculâ vulpes talia voce refert:
Jam tu prælibes, ſolâ vel imagine captus,
Gaudia, conſpectu quæ dabit ipſa ſuo.
At tu, quæſo, veni; quid enim? Fors, munere ſortis,
Pinguis præda mihi mittitur atque tibi.
Procedunt. Tales ſed non curabat amicos,
Tunc juſſus tenerum paſcere gramen equus.
Præcipitique fugâ jam vertere terga parabat,
Cùm ſubitò vulpes: optime quadrupedum,
Officium quodvis in te conferre parati,
Reſcire ardemus nomen uterque tuum.
Haud cerebri vacuus ſonipes: legite, inquit, amici,
Inſcripſit ſutor calcibus hocce meis.
Parce, inquit vulpes, ſum planè ignara: parentes
Me nil curârunt edidiciſſe mei.
Ne facerent, nimiò gravior prohibebat egeſtas:
Ipſorum res eſt omnis inane cavum.

Quem ritè inſtitui clari juſſêre parentes
  Doctior hic lupus eſt, egregièque legit.
Alter, cui pectus blandè præconia mulcent,
  Ad calcem accedit, ceu benè doctus, equi.
At mens vana dedit pœnas: equus excutit illi
  Uno ictu dentes quattuor, atque fugit.
Ecce lupus noſter mediâ revolutus in herbâ,
  Fœdatur, fracto dùm ſcatet ore cruor.
Frater, ait vulpes; mihi quod dixêre periti,
  Exemplo verum jam patet eſſe tuo.
Hoc monitum iſta tuis inſcripſit bellua malis:
  Quemlibet ignotum, ſi ſapis, uſque cave.

---

28. *Legit.* Verbum legere non poſtulat caſum.
  Dives & ingenti curret ſuper ora liburno.
  Aut obiter leget, aut ſcribet, vel dormiet intùs.
Juvenal. Sat. 3. *v.* 40.

30. *Benè doctus.* Plaut. Moſtel.

38. *Ignotum cave.* Cavere aliquem, cavere ab aliquo, apud optimos authores pariter reperiuntur.
  Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
  Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu, romane, caveto.
Horat. l. 1. *Sat.* 4.

At verò, inquam tibi ego, Brute, non ſolvam, niſi priùs à te non cavero. *Cic. 6. Fam. 7.*

FABULA XVIII.

Vulpes & Indi-Pulli.

ASSULTUS contra verſutæ vulpis & artes,
Gallinis indis, arx velut, arbor erat.
Mœnia circuitu poſtquàm luſtravit inani,
Agmen in excubiis perfida ſtare videt.
Nempè joco, exclamat, me gens ea ſemper habebit,
Unaque communis libera legis erit?
Non ita, non patiar, ſanctiſſima Numina teſtor.
Pollicitis vulpes relligioſa ſtetit.
Lumine luna ſuo viſa eſt obſtare doloſæ,
Et miſerans indo velle favere gregi.
At vulpes oppugnandi non hoſpes in arte,
Concutit innumeris pectora feta dolis.
Arboris ad ramos tanquàm conſcendere vellet,
Jam trunco admotos erigit ecce pedes.
Mox mediâ, exanimem ſimulans, procumbit in herbâ;
Artus deindè ſuos, ceu rediviva, movet.
Te, Roſci, denſo ſtupuit quem Roma theatro,
Non tot perſonas ſuſtinuiſſe ferunt.

17. *Roſci.* Roſcius Gallus erat inſignis hiſtrio & comœdus Ciceronis præceptor in pronuntiationis & geſtûs exercitatione, eò præſtantiæ venit, ut cùm de perfecto in arte aliquâ loquimur, Roſcius à nobis dicatur, teſte Cicerone, *lib.* 1. *de Orat.* 130. Hunc Roſcium Cicero in judicio defendit, extatque ejus orationis pars bona. Fuit & alius Roſcius qui vocabatur Sextus Roſcius Amerinus, etiam in cauſâ parricidii defenſus à Cicerone. Hic Roſcius patrem habuit locupletem, quem quidam clàm occiderunt: cùm paternæ cædis quaſi author accuſatus fuerit, ejus cauſam egit primam publicam Cicero, annos natus XXIII.

Suſtollens caudam motu leviore coruſcat,
Atque alios geſtit mille ciēre jocos.
Intereà immotæ volucres conſiſtere ramis.
Nulla audet ſomnum carpere preſſa metu.
Delaſſat cunctas hoſtis, dùm ſemper in uno
Obtutu, ipſarum lumina fixa tenet.
Senſim oculi miſeris caligant, quâlibet horâ
Hæc aut illa cadit: tot rapiuntur aves,
Tot ſeponuntur. Quartâ plus parte fatiſcunt,
Quas vehit in cellam lurco repentè ſuam.
Dùm cupis exitium vitare quod inſtat, in illud
Te nimiùm vigilem ducere cura ſolet.

---

19. *Coruſcat caudam.* Hoc verbum vulgò neutrum eſt. Sed apud Virgilium ſæpè activum eſt, ut *Æneid.* 10. *v.* 651.

——— Strictumque coruſcat
Mucronem.

Coruſcare eſt ſplendere & propriè cœli eſt : accipitur etiam *pro* vibrare, agitare, concutere.

——— Oditque moras, haſtamque coruſcat.
Virg. 12. *Æneid.* *v.* 431.

I. e. averſatur moras, & quaſſat haſtam.

20. *Geſtit* pro *huic maximè gratum eſt.*

—— Geſtit paribus colludere. *Horat. Art. poët.* *v.* 159.

23. *Delaſſat.* Delaſſare eſt valdè laſſare : particula *de* interdùm auget vim ſignificandi. Sic deſævire eſt vehementer ſævire. Denarrare eſt ſtudioſè narrare, &c. Interdùm hanc vim minuit.

Delaſſare valet Fabium. *Horat. l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 14.

Id eſt, defatigare.

Ibi labore delaſſatum totum ſtertere. *Plaut. Aſin.* 5. 2. 22.

27. *Quartâ plus parte.*

Ac mediâ plus parte leves evectus in auras
Deſpicit omne nemus. *Ovid. l.* 3. *Metam. v.* 43.

Hoc eſt, ùltra medietatem, &c.

FABULA XIX.

Philoſophus Scytha.

Mente ſophus rigidâ, ſcythicis & natus in oris,
Decrevit mores depoſuiſſe feros.
Ergò adiit fines danaûm, conſpexit & illic
Spectandum ſenio conſilioque ſophum.
Iſte ſenem referens, cecinit quem muſa Maronis,
Regales animis æquiparabat opes.
Proximus & vitæ Superûm, curæ atque tumultûs
Expers, præſenti ſorte beatus erat.
Horto delicias omnes debebat amœno,
Uberis undè decus divitiæque ſoli.
Adventat ſcytha, falce ſenex dùm cautus inanes
Ramos pomiferis tollit ab arboribus.
Aufert hoc, illud: purgat truncum, atque ſagaci
Naturam emendat per loca quæque manu.

---

6. *Animis.*
Regum æquabat opes animis.
Virg. l. 4. Georg. v. 132. de ſene Corycio.

9. *Debebat.*
Vivit adhuc vitamque tibi debere fatetur,
Quam priùs à miti Cæſare munus habet.
Ovid. de Ponto. l. 4. Eleg. 5. v. 31.
Non ſolum populi vitam debere fatetur
Armis, Roma, tuis. *Claudian. l. 3. Stylich. v. 77.*

13. *Sagaci.* Sagax propriè de mente dicitur, ſed metaphoricè ad alia transferri poteſt. Lactantius, loquendo de acie oculorum, ipſam vocat ſagacem. Pariter Statius *Thebaïd. l. 10. v. 593.*

——— Acieque ſagaci
Sanguineos flammarum apices, geminumque per aras
Ignem, &c.

Grata, viri curas penſabat fenore magno
Natura, huic frugum cùm genus omne daret.
Tùm ſcytha quæſivit: quæ tantæ cauſa ruinæ?
An ſapere eſt, inſons ſic mutilare genus?
Damni inſtrumentum ſævam procul abjice falcem,
Rem peragat tibi falx. Temporis una, ſine.
Sat citò vis fati cunctas prætexere coget
Heu! Phlegetontei littora nigra lacûs.
Tùm contrà ſenior: ſeco quidquid inutile; quantùm
Abſcindo, tantùm cætera ſuccus alit.
Deindè ſcytha in triſtes properat remeare penates,
Æmulus & falcem corripit ipſe manu.
Aſſiduè reſecat, vicinis ſuadet, amicos
Omnibus hortatur cædere ligna locis.
Atque ſuum truncat, ſine lege modoque, viretum;
Ramos, pomorum pignora læta, ſecat.
Nec tempeſtates ſervat, nec tempora, nunquàm
Advertit, phœbe ſit nova, ſitne vetus.
Omnia langueſcunt, arent, moriuntur in horto;
Incauti vera eſt ſtoïci imago ſcytha.

---

26. *Manu.*
——— Cape ſaxa manu, cape robora paſtor.
Virg. Georg. l. 3. *v.* 429.

28. *Hortatur cædere.*
——— Hortamur fari, quo ſanguine cretus.
Virg. l. 2. *Æneid. v.* 72.
——— Nûm linquere caſtra
Hortati ſumus. *Idem.* 10. *Æneid. v.* 69.

28. *Cædere* pro *abſcindere*, *amputare.* Arbores cum lunâ ſeneſcente tempeſtivè cædi, quia tunc exſiccatæ ſunt. *Cicer.* 2. *de Divinit.* 33.
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Tibul lib. 1. *v.* 34.
Id eſt, hic, nempè, Oſiris docuit rigidâ falce vernantes frondes amputare.

Stoïcus affectus omnes de pectore noſtro
  Abſcindit, pravos ſcilicet atque bonos.
Pacificæ mentis, vel vota innoxia, culpat.
  Indignans tales improbo jure ſophos.
Cordibus hinc noſtris vis tollitur omnis agendi;
  Cogitur antè mori, quàm moriatur, homo.

FABULA XX.

Elephas, & Simius Jovis.

Rhinoceros elephaſque olim certaſſe feruntur,
  Quem penes imperii gloria juſque foret.
Ambobus placuit clauſo decernere campo;
  Pugnæ ubi pacta dies, nuntius ecce venit:
Simius ipſe Jovis mihi viſus in aëre, dixit,
  Cujus geſtabat dextra caduceolum.
Simius iſte Gilo, perhibet ſic fama, vocatus;
  Hunc legatum elephas eſſe repentè putat.
Sit veluti miſſus, ſibi quò perſolvat honorem;
  Indè novo faſtu pectora vana tumet.
Simium & expectat, queriturque quòd ille moretur
  Exhibuiſſe Jovis credita juſſa ſibi.
Adventare Gilo tandem: excellentia, dixit,
  Urbano vultu, ſit tua ſalva, precor.
Diſcat ut adventûs cauſam, aures arriget alter;
  Vox de legati munere nulla fuit.
Audierant nondùm cœleſtia Numina litem,
  Quæ ſibi cenſetur ſollicitare polum.
Quid Superûm refert, an ſis elephasve, culexve?
  Talibus ordiri cogitur ergò prior.

10. *Vana tumet.* Vana, more adverbii, *pro* vanè.
Ut vidit fulgentem armis & vana tumentem.
Virg. Æneid. 11. v. 854.
Sic idem dicit *crebra* pro *crebro*.
——— Pede terram
Crebra ferit. *Virg. Georg.* l. 3. v. 500.

Mox ſatis egregiæ cernet ſpectacula pugnæ
  È ſuperâ affinis Juppiter arce meus.
Næ ludum inſignem Divûm mirabitur aula!
  Quem ludum? tetrico ſimius ore refert.
Quid! neſcis, quàcumque feram veſtigia, ſtulto
  Rhinoceron auſu velle præire mihi?
Inter Rhinoceram ac Elephantida bella cieri?
  Oppida clara adeò non tibi, credo, latent.
Simius: audire hæc lætor, pol, nomina: rarò
  His de rebus agit regia vaſta poli.
Obſtupuit dictis elephas, pudor ora notavit,
  Hic ergò quianam, dic, precor, inquit, ades?
Formicis aliquot feſtucam ut partiar unam.
  Nos cuicumque rei conſuluiſſe juvat.
A Superis tua res nondùm perpenſa: tuentur
  Illi oculo magnos exiguoſque pari.

28. *Tibi latent.*

——— At mihi ſem
Tu quæcumque moves tam crebros cauſa meatus,
Ut Superi voluêre, lates. *Lucan. l.* 1. *v.* 419.

FABULA XXI.

Stultus & Sapiens.

A Stulto ſapiens ſaxis impunè petitus,
Quàm pulchrè, obverſus dixit, amice, facis!
Nummus hic eſto tuus, ſat magno membra labore
Delaſſas, majus quò mereare lucrum.
Eſt cuivis, aiunt, operæ ſua debita merces,
En qui tranſit homo, quò tibi ſolvat, habet.
Hunc, mihi crede, tuis propera prævertere donis,
Obſequio haud deerunt præmia digna tuo.
Continuò ſtultum lucri ſpes dulcis ineſcat
Et lepidè impacto divitis ora ferit.
Tùm, ſibi quam ſperat, merces non ære ſoluta:
Illicò vernarum denſa caterva ruit.
Noſter homo arripitur; totos contunditur artus,
Calcibus obteritur: ſemianimiſque jacet.
Stulti conſimiles regum verſuntur in aulâ,
Qui domino riſus in tua damna movent.
Tentabiſne malam plectendo retundere linguam?
Quâ ſint mulctandi vis tibi fortè deeſt.
His ſuade, quemdam mordaci dente laceſſant,
Quem benè vindictæ noveris eſſe parem.

20. *Vindictæ parem.* Parem eſſe interdùm ſumitur pro *ſufficere alicui rei*, ſive exequendo, ſive reſiſtendo. Aſpicio par laboribus corpus. *Quint. Declam.* 5. Exime mihi hunc ſcrupulum cui par eſſe non poſſum, *id eſt*, pati non poſſum. *Plin. Epiſt.* 61.

FABULA XXII.

Vulpes anglica.

AD DOMINAM HARVÆAM.

Ora mihi cœlum quanquàm centena dediſſet,
Haud poſſem dotes enumerare tuas.
Rectum judicium es ſortita, animumque benignum:
Mens generoſa tibi nil niſi grande ſapit.
Tu verſare animos, tractare negotia calles,
Ingenua & fuci neſcia corda geris.
Tu fidem amicitiæ ſervas, vel ſæva procella
Dùm furit, & ſuperâ Juppiter arce tonat.
Magnificas adeò deceant præconia dotes
Splendida, ſed votis ſint minùs apta tuis.
Faſtidis pompam, præconia reſpuis. Ergò
Quam dedimus, ſimplex laus fuit atque brevis.
Pauca tuam ob patriam juvat hîc attexere; flagrat
Nam patriæ jugi pectus amore tuum.
Intima rerum angli rimantur mente profundâ,
Ingenita hos veri nempè cupido tenet.
Id quod propugnant, multa experientia firmat;
Artibus hinc pulchris crevit ubique decus.
Hæc non jacto, tuis ut blandiar auribus; angli
Præcellunt reliquis, mente ſagace, viris.
Quin veſtris canibus, quàm noſtris, naris odoræ
Vis major, major vulpibus aſtus ineſt.
Exempla hîc quanquàm proferri plurima poſſint,
Propoſitum vulpes comprobat una ſatis.
Ut ſe ſervaret vicino à funere tutam,
Quem non ulla prius texuit, uſa dolo eſt.

Improba ad extremum fuerat diſcrimen adacta,
Hanc adeò urgebant, nare ſagace, canes.
Hæc propè funereum flexit veſtigia lignum
Quo multæ pendent, noxia turba, feræ:
Bubones, taxi, vulpes, gens læta rapinis;
Semper ut exemplo publica pœna foret.
Illorum conſors, nimio defeſſa labore,
Se inter, tot caſſos lumine, ritè locat.
Verſutum Annibalem videor mihi cernere, quandò
Heſperiam in magnam punica ſigna tulit.
Hunc acies premeret quoties romana, peritos
Vulpinâ eluſit ſæpiùs arte duces.
Jamque canum primi venêre ad funebre lignum,
Pendet ubi, exanimæ more, doloſa fera.
Certatim horrificis implent latratibus auras:
Cunctis rupit herus, voce manuque, viam,
Et reſonas voces quamvis ad nubila tollant,
Non adeò lepidum conjicit indè dolum.
Haud, inquit, novi, quò bellua vafra receſſit,
Certè aliquo ſeſe condidit illa cavo.
Non vocor has ultrà, turbâ latrante, columnas,
Suſpenſos tot habet trabs ubi fune probos.
Præda mea hùc veniet; dominus nòn vana canebat,
Incauta hùc vulpes in ſua damna venit.
Plurima turba canum circumſilit, allatrat, urget,
Carnarî ad ſummum repere noſtra fera.
Quæ priùs hoc aſtu fuerit feliciter uſa,
Nunc ſimili ſalvam ſe fore fraude putat.

---

51. *Carnarî*, per ſyncopen, pro *carnarii*. Carnarium eſt propriè locus, ubi carnes domi reponuntur; hæc vox reperitur apud Columel. *lib.* 12. *cap.* 14. 4. 6. Adveniens deturbavi totum cum carne carnarium.

Sed miſera hìc vitam tandem cum pelle reliquit:
  Mutandas artes, qui ſapit, indè videt.
Nec dolus iſte tamen foret à venante repertus,
  Ut diræ effugeret proxima tela necis.
Non quod hic ingenio careat, quippè omnibus anglis
  Ingenii multùm nullus ineſſe negat.
Verùm audax nimium, nimiùm mens prodiga vitæ,
  Fortibus eſſe ſolet noxia ſæpè viris.

---

55. *Vitam reliquit.*

Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris.

Virg. 5. *Æneid.* v. 517. *de Columbâ.*

FABULA XXIII.

Judex arbiter, Hoſpitalis & Solitarius.

Urgebat ſimili patriæ cœleſtis amore
 Tres ſanctos, eadem ſpes, eademque fides.
Arderent metam quamvis pertingere ad unam,
 Diverſas prorsùs corripuêre vias.
Romam omnis ducit via: noſtri ita poſſe putabant
 Rivales cœlum diſpare calle peti.
Perpendit primus quàm duros quæque labores
 Lis ſecum atque moras, quantaque damna ferat.
Seſe, jus gratis ut redderet, obtulit ultrò,
 Terrenas nihili pendere doctus opes.
Ex quo ſancitæ leges, & condita jura
 Fit, ſcelerum in pœnam, litigioſus homo.
Vitæ dimidia, interdùm pars maxima, ſæpè
 Tota abit in rauco perdita vita foro.
Stultum adeò, vir pacis amans, adeòque nefandum
 Ardorem ex animis poſſe fugare putat.
È ſanctis alter ſedes delegit, egenis
 Quas ægris pietas, hoſpita tecta dedit.
Laudo hominem; fratrum, credo, præcellit amore
 Cui ſola eſt miſeros cura levare malis.
Cùm tunc ægroti vitio urgerentur eodem
 Quo noſtri, hinc virtus ritè probata viri.
Mœſtos, difficiles, gemebundos uſque videres
 Officioſum hominem lædere mille probris.
Hos amat, aiebant, ſolos, recreatque, fovetque;
 In nos injuſtus ferrea corda gerit.
Verùm his audivit longè graviora querelis,
 Cui lites animus compoſuiſſe fuit.

Judicium quodvis ferret, pars neutra probabat;
Res nunquàm fuerat lance librata pari.
Hæ voces graviter pacis læſêre ſequeſtrem:
Protinùs ægrorum publica tecta petit.
Rectorem inviſit, pariter cui præmia ſola
Eſſe graves queſtus duraque probra videt.
Mœrens atque pati defeſſus uterque repulſas;
Cedere ab ingrato cogitur officio.
Seſe proripiunt, nemorumque ſilentibus umbris,
Mœrorem credunt, nemine teſte, ſuum.

---

31. *Sequeſtrem.* Sequeſter (inquit Modeſtinus de verb. ſignif.) eſt ille apud quem plures eamdem rem, de quâ controverſia eſt, depoſuêrunt; dictus à ſequendo, inquit Gellius, *lib.* 10. *cap.* 11. quòd ejus, qui electus ſit, utraque pars fidem ſequatur. Tu hodie non feres, niſi das ſequeſtrum aut arbitrum, cujus hæc res arbitratu fiat. *Plaut. Rud.* 4. 3. 65.

Id eſt, cujus arbitrio noſtra controverſia componatur.

Imò ſic ſequeſtro mihi data eſt.
Idem. Merc. act. 4. *ſc.* 3. *v.* 36.

I. e. hæc perſona depoſita apud me eſt, ut apud ſequeſtrum.

——— Pace ſequeſtrâ. *Virg. Æneid. l.* 11. *v.* 133.

I. e. Conciliatrice. Nam ſequeſter, inquit Ruæus in ſuis annotationibus in hunc Virgilii librum, eſt arbiter inter utramque partem medius, vel, juxta Servium & Donatum, ſunt induciæ, quæ ſequeſtræ ſunt vel mediæ inter bellum præteritum & bellum futurum.

At nova eliſei jurato fœdera patris
Conſultant mandare duci, paciſque ſequeſtrem
Mittere. *Silius Italicus, l.* 6. *v.* 347. *de Punico Bello.*

Silius, cognomine Italicus, poëta eximius, cujus extant libri 17. de bello punico; floruit Neronis tempore, conſulatum geſſit, de illo ſic Martialis. *lib.* 4. *Epig.* 88.

Silius Auſonio non ſemel ore potens.

35. *Pati defeſſus.*

——— Ego ſum defeſſus reperire,
Vos defeſſi quærere. *Plaut. Epidic.* 5. 2. 55.

Tertium ibi inveniunt ſanctum ſub rupe latentem,
  Quà fons illimi lenè ſuſurrat aquâ.
Ignota hæc Phœbo ſedes, impervia ventis,
  Conſuluêre virum: ſic documenta dedit.
Vos date conſilium vobis: nùm quilibet alter
  Quorum habeatis opus, tam benè ſcire queat?
Ut ſe mortales, ante omnia, noſſe laborent,
  Præcipiunt ſummi juſſa verenda Patris.
An voſmet noſtis, vulgi in fervente tumultu?
  Ardua res placidos poſtulat illa locos.
Tantum alibi indagare bonum, quàm maximus error.
  Quiſnam in turbatâ ſe ſpeculatur aquâ?
Quem purum aſpicimus, fontem moveatis; an ullus
  Poſſit ibi vultus deindè videre ſuos?
Colluvies limi eſt veluti denſiſſima nubes,
  Quâ lymphæ ſpeculum deſinit eſſe nitens.
Adjecit ſanctus, Fratres, ſinite: unda quieſcat,
  Spectandam cuivis ſe ſua imago dabit.
Semper ut inſpiciat ſe oculo mens veſtra ſereno;
  Condite vos latebris, undè tumultus abeſt.
Vir pius exprompſit poſtquàm hæc effata, ſalubre
  Conſilium docilis gaudet uterque ſequi.
Nec culpare tamen liceat, quos utile munus
  Pro dulci patriâ ſuſtinuiſſe decet.
Cùm mors & morbi & lites graſſentur ubique,
  Eſt opus & medicis, cauſidiciſque ſimul.

---

45. *Ante omnia* pro *imprimis*, *præcipuè.* Ante omnia ne ſit vitioſus ſermo nutricibus. *Quintil. l.* 1.

Me vero primum dulces, ante omnia, muſæ
Accipiant. *Virg. l.* 2. *Georg. v.* 475.

Gratia ante omnia Clazomeno vino. *Plin. l.* 14. *c.* 71.

56. *Spectandam dabit.*

Non herclè, cui nunc hoc dem ſpectandum, ſcio.
Plaut. Perſ. act. 3. *ſc.* 3. *v.* 35.

Gratia ſit cœlo : nobis non talia deerunt
  Auxilia : hæc ſpondet laudis amorque lucri.
Dùm tamen aſſiduis communia commoda curis
  Præſtat homo, vivit non memor ipſe ſui.
O reges, regumve genus, Themidiſque miniſtri,
  Qui populo curas, tempus & omne datis,
Haud dubiè turbant quos caſus mille ſiniſtri
  Rerum immenſarum dùm grave fertis onus,
Queis animum frangit mala ſors, corrumpit amica;
  Non vos, non alios cernere poſſe vacat.
Felici in voſmet quandò deſcenditis horâ,
  Nec mora, mentem aliò laus malè blanda rapit.

---

65. *Gratia ſit cœlo.*

Gratia Dîs; felix & inexcuſabile tempus.
Ovid. l. 15 Metam. v. 511.
Gratia Dîs domuique tuæ. *Idem. Faſt. l. 1. v. 701.*
— — Gratia magna Jovi. *Tibul. l. 1. Eleg. 4.*

74. *Cernere vacat.* Vacat, eſt imperſonale, ſignificat otium, vel vacuum; tempus dativo & infinitivo jungitur :

Si vacet annales noſtrorum audire laborum.
Virg. Æneid. l. 1. v. 376.

Id eſt, ſi tibi otium ſit audire hiſtoriam noſtrarum calamitatum.

Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi.
Ovid. Triſt. lib. 2. v. 216.
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Juvenal. Sat. 1. v. 21.

Id eſt, ſi otium eſt ad audiendum; dicimus enim, mihi non vacat, ſeu, mihi otium non eſt.

75. *In voſmet deſcenditis.* In ſe deſcendere, eſt ſeipſum conſiderare.

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo!
Perſ. Sat. 5. v. 23.

Id eſt, quàm verum eſt hoc effatum neminem ſeipſum conſpicere & inſpicere ad vitia ſua pernoſcenda!

Imponit

Imponit noſtris monitus finem iſte libellis:
  Sæpius hoc uti poſtera ſecla velint ?
Hunc offert mea muſa ſophis , hunc regibus offert;
  Quis poſſit melior claudere finis opus ?

FINIS.

ERRATA Tomi primi.

PAGINA, 28, not. 3, repirire, *lege* reperire.
Pag. 132, *v.* 14, queſtu, *lege* quæſtu.
Ibid. *v.* 22, exhibet aſſibus, *lege* exhibet, aſſibus.
Pag. 135, *v.* 171, jucundus, *lege* jucundiùs.
Pag. 138, *v.* 26, admonet', illa, *lege* admonet illa.
Pag. 146, *v.* 8, dapidus, *lege* dapibus.
Pag. 150, *v.* 29, ſodalis, *lege ſodalem.*
Pag. 152, *v.* 17, tunc campum, *lege* in campum.
Pag. 175, *v.* 6, deformat : nimiùm, *lege* deformat nimiùm.
Pag. 176, *v.* 18, ſatis, *lege* ſatin'.
Pag. 180, *v.* 4, Res dubia eſt. *lege* Res dubia eſt,
Ibid. erit ? *lege* erit.
Pag. 204, *v.* 22, includit, *lege* occludit.
Pag. 207 *v.* 11, amore, *lege* amore;
Ibid. *v.* 12, verborum : Œſopus, *lege* verborum Œſopus.
Pag. 219, *v.* 9, ſi profit tantùm, *lege* ſi tantùm profit.
Pag. 226, *v.* 9, ſed ſolibus, *lege* ſex ſolibus.
Pag. 235, *v.* 27, eſto vi ſuade, *lege* ſit ſermo tuus.

ERRATA *Tomi ſecundi.*

P*AGINA* 37, *v.* 25, parte domûs tecto propiore, *lege* parte domûs tectis propriore.

Ibid. *v.* 27, ſubſidium aliud quamvis, *lege* ſubſidium quamvis aliud.

Pag. 86, *v.* 17, lucro, *lege* lurco.

Pag. 89, *v.* 30, quando, *lege* quin.

Pag. 118, *v.* 7, quanquàm, *lege* tamen.

Pag. 143, *v.* 22, advenire, *lege* advenêre.

Pag. 202, *v.* 5, verſatior, *lege* verſutior.

Pag. 253, in tertiâ lineâ notæ duplici, *lege* duplicis.

Pag. 287, *v.* 41, impervia ventis, pone punctum poſt ventis.

Ibid. *v.* 43, nùm quilibet alter, pone virgulam poſt quilibet alter,

Pag. 52, *v.* 12, en Romæ &, *lege* en Romæ eſt.

Pag. 89, *v.* 37, pecudum cuſtos, *lege* pecoris cuſtos.

Pag. 110, *v.* 4, ſequere, *lege* ſequêre.

Pag. 122, *v.* 6, dedita, *lege* didita.

Pag. 130, *v.* 1, lateri, *lege* manui.

Ibid. *v.* 11, illudere, multis, *lege* illudere multis.

Pag. 140, *v.* 3, fugiente procellâ, *lege* amotâque procellâ.

Pag. 174. *v.* 39, è menſâ, *lege* à menſâ.

Pag. 190, *v.* 39, ruit portis, reſonante tumultu, *lege* ruit portis; reſonante tumultu.

Pag. 243, *v.* 22, his nota turpis erat, mox ſubeunda, *lege* his nota turpis, erat mox ſubeunda.
Pag. 281, *v.* 10, lepidè, *lege* lapide.

INDEX FABULARUM TOMI SECUNDI.

LIBER SEPTIMUS.

FABULA I. *Animantia peſte laborantia*, pag. 3
FABULA II. *Vir malè conjugatus*, 7
FABULA III. *Mus anachoreta*, 9
FABULA IV. *Ardea*, 11
FABULA V. *Vota*, 13
FABULA VI. *Leo cum Aulicis*, 17
FABULA VII. *Vultures & Columbi*, 19
FABULA VIII. *Rheda & Muſca*, 21
FABULA IX. *Mulier & Lactis Sinum*, 23
FABULA X. *Parochus & Mortuus*, 25
FABULA XI. *Homo ſectans Fortunam, & Homo Fortunam in lectulo expectans*, 27
FABULA XII. *Duo Galli*, 31
FABULA XIII. *Ingratus & iniquus Hominum in Fortunam animus*, 33

Digitized by Google

FABULA XXV. *Democritus & Abderitani*, 207
FABULA XXVI. *Lupus & Venator*, 210

LIBER NONUS.

FABULA I. *Infidus depoſiti Cuſtos*, 213
FABULA II. *Duo Columbi*, 218
FABULA III. *Simius & Leopardus*, 222
FABULA IV. *Glans & Cucurbita*, 224
FABULA V. *Puer, Magiſter, & horti Dominus*, 226
FABULA VI. *Opifex & Statua Jovis*, 228
FABULA VII. *Stultus qui vendit Sapientiam*, 230
FABULA VIII. *Oſtrea & Homines litigantes*, 232
FABULA IX. *Lupus & Canis mucilentus*, 234
FABULA X. *Ne quid nimis*, 236
FABULA XI. *Cereus*, 238
FABULA XII. *Jupiter & Vector*, 240
FABULA XIII. *Felis & Vulpes*, 242
FABULA XIV. *Theſaurus & duo Homines*, 244
FABULA XV. *Simius & Felis*, 246
FABULA XVI. *Milvius & Luſcinia*, 248
FABULA XVII. *Paſtor & Oves*, 250

LIBER DECIMUS.

FABULA I. *Duo Mures, Vulpes & Ovum*, 252
FABULA II. *Homo & Coluber*, 262
FABULA III. *Teſtudo & duæ Anates*, 263
FABULA IV. *Piſces & Phalacrocorax*, 268

Fabula V. *Avarus aurum defodiens, & ejus Socius*, 171
Fabula VI. *Lupus & Paſtores*, 173
Fabula VII. *Aranea & Hirundo*, 175
Fabula VIII. *Perdix & Galli*, 177
Fabula IX. *Canis, cui aures amputatæ*, 179
Fabula X. *Paſtor & Rex*, 181
Fabula XI. *Duo Pſittaci, Rex & ejus Filius*, 184
Fabula XII. *Leæna & Urſa*, 187
Fabula XIII. *Duo viri fortunam & appetentes, & Lapillus fatidicus*, 189
Fabula XIV. *Cuniculi*, 192
Fabula XV. *Mercator, Vir Nobilis, Paſtor & Regis Filius*, 196

LIBER UNDECIMUS.

Fabula I. Leo, 199
Fabula II. *Villicus, Canis & Vulpes*, 202
Fabula III. *Somnium Mogoli*, 205
Fabula IV. *Leo, Simius & duo Aſini*, 208
Fabula V. *Lupus & Vulpes*, 212
Fabula VI. *Ruſticus Danubii accola*, 214
Fabula VII. *Senex & tres Juvenes*, 219
Fabula VIII. *Mures & Bubo*, 221
Epilogus, 224

LIBER DUODECIMUS.

Fabula I. Ulyssis *Socii*, 225
Fabula II. *Felis & duo Paſſeres*, 239
Fabula III. *Simius & Homo theſauros accumulans*, 233

Fabula IV. *Duæ Capellæ*, 235
Fabula V. *Felis ſenior & junior Mus*, 239
Fabula VI. *Cervus ægrotus*, 241
Fabula VII. *Veſpertilio, Dumus & Anas*, 242
Fabula VIII. *Rixa Canum & Felium, item Felium & Murium*, 244
Fabula IX. *Lupus & Vulpes*, 247
Fabula X. *Cancer & ejus Filius*, 250
Fabula XI. *Aquila & Pica*, 252
Fabula XII. *Rex, Milvius & Auceps*, 254
Fabula XIII. *Vulpes, Muſcæ & Echinus*, 260
Fabula XIV. *Stultitia & Amor*, 262
Fabula XV. *Corvus, Teſtudo, Capra & Mus*, 264
Fabula XVI. *Silva & Lignator*, 270
Fabula XVII. *Vulpes, Lupus & Equus*, 272
Fabula XVIII. *Vulpes & Indi-Pulli*, 274
Fabula XIX. *Philoſophus Scytha*, 276
Fabula XX. *Elephas, & Simius Jovis*, 279
Fabula XXI. *Stultus & Sapiens*, 281
Fabula XXII. *Vulpes anglica*, 282
Fabula XXIII. *Judex arbiter, Hoſpitalis & Solitarius*, 285

Finis Indicis Tomi ſecundi.

APPROBATIO.

Juſſu illuſtriſſimi Regiorum Sigillorum Cuſtodis, *Fabulas ſelectas Fontanii*, è gallico in latinum ſermonem converſas, legi, eaſque publicâ luce dignas cenſui. Pariſiis die 15 Aprilis 1775.

LOUVEL.

PRIVILEGE GÉNÉRAL.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenants Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra: SALUT: notre amé le P. GIRAUD, Nous a fait expoſer qu'il deſireroit faire imprimer & donner au Public un ouvrage intitulé: *Fables de la Fontaine, en vers françois & latins*, s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege pour ce néceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer ledit ouvrage autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de ſix années conſécutives, à compter du jour de la date des Préſentes. Faiſons défenſes à tous Imprimeurs, Libraires, & autres perſonnes de quelque qualité & conditions qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance: comme auſſi d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire ledit ou-

vrage, ni d'en faire aucuns extraits ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui; à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenants, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion dudit ouvrage ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en beau papier & beaux caractères, conformément aux Reglements de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril mil ſept cent vingt-cinq, à peine de déchéance du préſent Privilege; qu'avant de l'expoſer en vente, le manuſcrit qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit ouvrage, ſera remis, dans le même état où l'approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France, le ſieur Hue de Miromenil; qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France le ſieur de Maupeou, & un dans celle dudit ſieur Hue de Miroménil; le tout à peine de nullité des Préſentes: du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant, & ſes ayants cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin dudit ouvrage, ſoit tenue pour ducment ſignifiée, & qu'aux copies

collationnées par l'un de nos amés & féaux Conſeillers, Secretaires, foi ſoit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire, pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires. CAR tel eſt notre plaiſir. DONNÉ à Paris le trente-unieme jour de Janvier, l'an de grace mil ſept cent ſoixante-ſeize, & de notre Regne le deuxieme. Par le Roi en ſon Conſeil.

Signé, LE BEGUE.

Regiſtré ſur le Regiſtre XX de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, no. 3035, fol. 89, conformément au Réglement de 1723, qui fait déſenſes, art. IV, à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter, faire afficher aucuns livres pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement, & à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre huit exemplaires, preſcrits par l'article CVIII du même Réglement. A Paris, ce 3 Février 1776.

Signé, *SIMON*, Adjoint.

JE cede & tranſporte mon Privilege aux ſieurs LOUIS LE BOUCHER, Libraire, & LAURENT DUMESNIL, Libraire-Imprimeur à Rouen, ſuivant les conventions faites entre nous. A Rouen, ce ſept Février mil ſept cent ſoixante-ſeize.

Signé, GIRAUD,
Prêtre de l'Oratoire.

De l'Imprimerie de L. DUMESNIL, 1776.